

13:
IOANNIS
DONATELLI
CASTILIONENSIS

DE FEBRE MALIGNA DISPUTATIO
cum Theodoro Angelucio Philosopho, & Medico
de eiusdem malignæ febris natura &
curatione differente.

AD PRAECLARISSIMVM, ET CELEBERRIMVM
virum IACOBVM BAROCCIVM
Patricium Venetum.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. D. XCIII.

Apud Robertum Meiettum. *re*

6. M. V. A. O. I
I. T. S. A. M. O. II
I. T. S. A. M. O. III

W. T. S. A. M. O. IV
W. T. S. A. M. O. V
W. T. S. A. M. O. VI
W. T. S. A. M. O. VII

W. T. S. A. M. O. VIII
W. T. S. A. M. O. IX
W. T. S. A. M. O. X

W. T. S. A. M. O. XI



W. T. S. A. M. O. XII

X. W. T. S. A. M. O. XIII



TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.



HLLA hac mente legas, qua scriptum
est, candida lector,
Scilicet ut verum quastio mota canat.



STORICO
INDEX CAPITVM
ET DISPV TATIONVM
Q V Æ IN H O C L I B R O
continentur.



- D**E causis, qua Auctorem ad hunc librum scribendum impulerunt. cap. 1. pag. 1.
Quid sit morbus malignus & febris maligna. caput. 2.
pag. 4.
De causis & locis malignæ febris. caput. 3.
pag. 11.
Ad quod genus febrium maligna febris reducatur. cap. 4. pag. 18.
Num, & quatenus maligna febris sit contagiosa. cap. 5.
pag. 22.
Quid


Quid differat maligna febris à pestilentि, &
num ea sit morbus epidemicus . caput . 6.
pag . 24.

De signis maligna febris . caput . septimum pa-
gina 27.

F I N I S.

H V I V S L I B R I E R R A T A

sic corrigantur.



3 I 1 1 7

- Pag. 2. A.lin. 31. pro Hæc, lege Hac
2. B.lin. 27. pro clarissimi lege clarissime
3. A.lin. 4. pro reporem lege reporem
3. B.lin. 21. pro sucus lege sucus
4. B.lin. 21. pro correxionem lege connexionem
5. B.lin. 11. pro hoc quem lege hocque
7. B.lin. 19. pro iudicantia lege indicantia
10. B.lin. 26. pro facientis lege facientis.
11. A.lin. 32. pro superutentibus lege superuenientibus
12. A.lin. 2. pro pamdunt lege pandunt
13. B.lin. 5. pro illam lege illum
15. B.lin. 17. pro alijs lege alij
15. B.lin. 21. pro exuriunt lege exurunt
16. A.lin. 27. pro inualescunt lege incalescunt
16. A.lin. 31. pro melancholica lege melancholia
16. B.lin. 9. pro colore lege calore
eadem linea pro ternioribus lege tenuioribus
16. B.lin. 27. pro seu lege ceu
17. A.lin. 9. pro gerat format. lege gerat Format
18. B.lin. 32. pro nam lege non
21. B.lin. 4. pro contineus lege continens
23. A.lin. 22. pro contagiam lege contagium
24. A.lin. 27. pro contagionem lege contagione
27. A.lin. 21. pro nam lege non
27. B.lin. 8. pro libro lege libri

28. A.lin.

- 28.A.lin.15.pro pit.lege pituita
28.A.lin.29.pro humiditatem lege caliditatem
28.B.lin.27.pro tenes lege lenes
28.B.lin.16.pro leuitatem lege lenitatem
28.B.lin.13.pro leuitas lege lenitas
28.B.lin.30.pro leuitatem lege lenitatem
29.A.lin.16.pro leuitas lege lenitas
29.A.lin.27.pro leuitas lege lenitas
29.A.lin.33.pro inquit lege inquitque
29.B.lin.7.pro obscessā lege obscesso
30.A.lin.27.pro leuitas lege lenitas
31.A.lin.14.pro femouere lege remouere
31.A.lin.25.pro fridigis lege frigidæ
33.A.lin.5.pro hypothesis lege hypothesis
35.B.lin.31.pro ut lege ut in
36.B.lin.9.pro prouenire lege proueniat
36.B.lin.26.pro diriguntur lege diriguntur.
37.B.lin.18.pro aerem lege acrem
38.B.lin.12.pro confrigere lege confringere
38.B.lin.31.pro dedicisse lege didicisse
39.A.lin.12.pro quamduam lege quandam
39.A.lin.28.pro Quæ quis lege Quæ si quis
39.B.lin.15.pro extimendum lege extimandum.



IOANNIS DONATELLI CASTILIONENSIS

DE FEBRE MALIGNA DISPVVTATIO
cum Theodoro Angelucio Philosopho, & Medico
de eiusdem malignæ febris natura &
curatione differente.

AD PRAECLARISSIMVM,
& celeberrimum virum IACOBVM
BAROCCIVM Patricium
Venetum.

*De causis, qua auctorem ad hunc librum scri-
bendum impulerunt. Cap. I.*

VII primi artem ornate dicendi conscri-
pserunt, vit Clarissimæ, inter omnes ora-
tionis formas, & ideas principatum clari-
tati detulerunt, eius enim qui dicit, præ-
cipuus finis est, ut animi conceptus expli-
cit, & intelligatur. Sed quia sermonis
claritatem plerumque nimis consestan-
tes in nimiam incidimus sermonis humili-
tatem, hinc factum est, ut post illam perspicuitatem ad suble-
uandam orationem, granditatem & magniloquentiam adhi-
berent.

DE FEBRE MALIGNA

berent. Huius uero formæ multæ sunt species, & quasi subser-
uientes formæ, ac differentiæ (libet enim hoc etiam vocabulo
eas appellare) & inter alias ea, quæ repræhensione dicitur: in qua
illud in primis solent interminari, atque præcipere, vt qui re-
prehensionem aliorum est aggressurus, is prius se ipsum ab om-
ni culpe affinitate ac etiam suspicione expurget, turpe esse exi-
stimantes eum alterius errata, aut peccata, ac crimina repræ-
hendere, quorum vel eorundem, vel similium ipse affinis sit.
Quia igitur multi sunt, qui putant, quod ea disputatio, siue exa-
minatio, quæ de aliorum scriptis suscipitur, sit mera repræhen-
sio. Sic illuc mea quidem sententia fallantur, cum plurimum intersit
inter repræhensionem, & eam, quæ disputandi gratia scripto-
rum alicuius instituitur confutatio: tamen nolens de hoc nūc
cum istis altercari, cum meum hoc non sit consilium, eidem
præcepto me esse obnoxium ac parere volo. Et antequam di-
spunctionem aggrediar, ab his me criminibus purgabo, non
quæ auctori huius libri, qui cum disputaturus sum, vellim inure-
re, cum ab his longissime absim, sed quæ ut plurimum solent
his vitio uerti, qui aliorum lucubrations oppugnare aggre-
diuntur. Hæc autem ad breuem hanc summam deduci solent,
ut scilicet putent hominem aut maleuolum, aut superbum, aut
inuidum, & quid simile illum esse, qui alterum scriptis oppu-
gnet, aut lædat. Quam igitur temerarium sit illorum hoc de-
me iudicium, & quam mea natura ab his criminibus abhor-
reat, qui uis facile cognoscet, ubi causam nouerit, quæ me ad
hoc præstandū officium impulerit. Verum quoniam non pos-
sum illam cōmode explicare, nisi prius altius repetens dicam
quæ, & quot causæ soleant homines ad alienas opiniones re-
sellendas impellere, ad eas prius commemorandas accedam.
Primum igitur fateor verissimum esse, quod quidam adducti
inuidia, & alienam infringendi gloriam cupiditate, ut se ipsos
extollant, id. præstiterunt, ut innumerabilia tum veterum, tum
recentiorum habemus exempla. Hi enim facile se produnt,

vt con-

ut contra etiam cognoscitur reprehensa ab illis , & confutata
scripta uera esse, utilia, & optima , reprehensiones uero falsas
esse, maleuolas , & penitus inanes , ac fuitiles . Et hoc est uere
maleuoli. non enim id potest simplici illorum fortasse ignoran-
tioni attribui . Nisi enim cum malitia ignorantia coniuncta
sit, uidetur fieri non posse , quin ex aduerso falsitati opposita
ueritate, intellectus humanus huic potius ob illius præstantiā,
ac lumen tanquam præcipuo obiecto non adhaerescat , illam-
que deserat . Quidam uero idē fecerunt iniuria a scriptore la-
cessiti, aut aliquo pacto demorsi, & ideo hoc pacto suum ulci-
sci dolorem uoluerunt ; & par pari referre, quod quidem licet
omnino christianum non sit , est tamen humanum , & aliquo
pacto permisum, ac æquum. Alij solo ueritatis expiscandæ , &
assequendæ desiderio id aggressi sunt . Veritas enim quo ma-
gis disceptationibus , & contrarijs argumentis exagitatur ; eo
magis elucescit, & fit illustrior, & hanc attigit disputandi cau-
sam Aristoteles, cum dixit non esse inutile de unoquoque du-
bitasse . Et hi appellari possunt , ut uulgo dicitur , curiosi , seu
ueritatis cupidi atque Philosophi. Inuenti sunt etiam qui alie-
nas reprobarent opiniones , ut prauas quasdam illarum ueluti
fibras hominum mentibus insertas euellerent , ut hinc eodem
quoque tempore proprietorum dictorum ueritas magis appare-
ret. Ut multis in libris, multisque locis fecit Gal. & potissimū
in tribus postremis de differentijs pulsuum libris , cum initio
secundi libri ita scribat . Non eundem usum hic liber pollicet-
tur, ac primus : Sed quā ueratrum rationē habet, uel scammo-
nia cum pane & carnibus , eandem , quæ nunc dicemus, cum
superioribus habent . Nutrire enim mentes illa sanas, hæc rese-
care prauas sententias ualent, ut morbos quosdam . Tamen dū
errores deteguntur , simul benedictis firma fides constituitur.
Hæc eadem fortasse de causa adductus fuit Arist. ut veterum
philosophorum opiniones proponeret, ac refutaret. & hoc ue-
re munus est sapientissimi, ac benignissimi Philosophi . Licet

DE FEBRE MALIGNA

credibilius sit, id Aristotelem omnium uere scientium parentem, alia de causa fecisse, quæ quinta poterit enumerari, ut scilicet omnibus potissimumque posteris, qui illius præstantiam non satis fortasse cognitam haberent, probaret suas proprias esse eas, quas afferret opiniones, & proprio partas ingenio, suaque industria, & non ex aliorum scriptis mutuatas, vel potius præreptas: ne suo scilicet & debito honore fraudaretur. & sane quidem vt ille inter philosophos fuit sapientissimus, ita in hoc quoque prudentissimus. Quasi enim multo ante præuiderit, quod hac tempestate à multis ingratis iactari animaduertimus. Qui licet videant Aristotelicam doctrinam ob eius uainformem ordinem, connexionem, perfectamque conspirationem, atque absolutam veritatem non potuisse nisi ab eius vaico & diuino intellectu produci: Afferunt nihilominus illum veluti Alexandri magistrum, quem penes erat rerum omnium potestas, & Monarchia, ad cuius ille nutum & voluntatem omnia faciebat, egisse callide, vt omnes libros veterum comburendos imperaret, vt quicquid boni de rebus omnibus erat ab antiquis literis mandatum, id omne sibi ille arrogaret, atque attribueret. Huius causa recentiora quoque habemus exempla: cum quosdam nouerimus, qui licet mitissimo sint in genio, vt ne malis quidem, ac perditissimis sciant maledicere: tamen impulsi calumnijs eorum, qui in vulgus iactarent illorum editos libros esse ex aliorum scriptis, & vigilijs vndique consarcinatos, & descripserunt, & reprobarunt omnes sibi attributas tanquam alienas opiniones. Aliqua igitur ex his causis putas me, Clarissimi Barocci, ad hoc munus obeundum aggredi? minime, sed longe maioribus, quæ quidem omnes ad duo quasi capita deduci possunt, atque etiam, si volumus, ad unum & simplex, ad pietatem scilicet christianam, & eam quā quisq; proximo debet charitatem. Quod quidem præceptum, post diuinum illum amorem, est christianissimum, & maxime princeps. Qua de re cum animaduertissem hunc librum Theodori

dori Angelucij de natura & curatione febris malignæ esse planè veluti quandam male morigeratam febrem, quia quemadmodum hæc in corporis superficie, & extrinsecus placidū mittemque parit reporem, qui medicum parum exercitatum facile fallat, intus vero miseris ægrotantes adurit, & liquat: sic ille quo ad corticē elocutionem inquam, & phrasim, ualde apud nonnullos videtur ornatus, & maximi æstimandus, & hac de causa non solum a iunioribus ac miseris Tyronibus, sed etiam a quibusdam natu grandioribus & exercitatis, qui se ex prima Venetorum physicorum classe (licet longissime absint) esse se profitentur, ac putant, optimus & doctissimus liber existimatus est, licet quo ad medullam & sensus mihi lōge videatur secus, & hinc fieri posse, ut si per orbem terrarum tanquam febris mali moris grassari permittarur, multorum ignoratiū medicorum, & ægrorum sit pernicies. Tandem quia in percurrente hoc libro animaduerti auctoře polliceri artē vniuersam Medicinæ ab ipso conscriptam, & veritus ne eandem in reliquis libris curam & methodum adhibeat, prospiciens illum magnum discrimen atque periculum subire, ne magnam suæ existimationis faciat iacturam, cumque mihi esset exploratum fraternalm illam correctionem inter me & illum, qui nimium se amat, me autem spernit, nihil profuturam, recordatus illius sacri dicti, si quis viderit bouem, & quæ sequuntur, volui ad illius admonitionem & disciplinam presentem conscribere disputationem, existimans me, & apud te uirum clarissimum atque integerimum & apud omnes probos nomen benigni hominis, pīj, ac zelantis de dignitate & commodo proximi reportaturum. Sed quia non adhuc mea videtur satis causa expurgata, licet enim a me maleuoli nomen reiecerim, reprehensionem tamen eorum non effugiam, qui existimabunt meum hunc laborem stulte, & imprudentissime fuisse suscep̄tum, cum in eo libro repudiando versetur, qui plentis mihi uideatur erroribus. His ergo responsum uolo co maiori me.

DE FEBRÉ MALIGNA

me laude dignum futurum, si omnes paucis uerbis consutaro.
Præterea et si liber est huiusmodi, prodit tamen è manib[us] lit-
teratissimi hominis, & tanti æstimati ab Excellentissimo &
& Preclarissimo Medicorum Venetorum collegio, ut publice
ac libere Anatomæ lector fuerit designatus: quam etiam nūc
legit frequentissimo auditorum nobilissimorum confessu, qua
lis fortasse nunquam visus, & quod maius est, ab eo est conscri-
ptus, qui ausus est contra Francisci Patritij librū scribere (qui
quidem, vt à Doctissimis, & in omni scientiæ genere eruditissi-
mis Lucio Scarânio, & Fabio Paulino publicis Venetæ Aca-
demia lectoribus audiui, scriptor est nobilissimus, & admirabilis,
qui etiam Paulinus olim mihi præclarum Lâbini iudiciū
de eodem indicauit in lib. de moribus ad Nicomachum cap.
3. vbi recitata Patritij opinione de libris exotericis hæc addit.
Hæc summa est viri de philosophia optime meriti cogitatio-
nū, quibus nostras libenter submitto) qui etiā vt mihi Iacobus
Antonius Dulcius Medicus nostra tempestate præclarus retu-
lit, quotidie minatur se in maximorum virorum libros repræ-
hensiones scripturum. Præterea licet is sit liber, vt dixi, spero
tamen me cum maximo studiosorum commodo ex spinis, &
tribulis vuas, & sicut eruisse, idq; absque temporis iactura, &,
vt mearum occupationum fert conditio, paucissimarum ho-
rarum spatio perfeci. Quia vero fieri etiam posset, (id quod
caput est) vt illius esset optima doctrina, mea vero peruersa
(neque enim is sum qui me quam maxime, & quam facillime
errare non posse credam) atque hoc pacto falsum complexus
ueritatem oppugnarem, quod iniquissimum, & execrandum
est: ideo hos meos labores ad te mittendos decreui.
vit Clarissime, vt iudicium tibi omne committerem, quippe
qui cum sis voluntate iustissimus, intellectione sapietissimus,
& oībus nō modo sciētijs ac disciplinis ornatus, quæ humano
comparari ingenio possunt, sed etiam in nostra hac Medicin-
æ arte ita versatus, & tanti a me & omnibus, qui principiatū
in hac

in hac yrbe tenent, æstimatus, vt ipse vix putem in toto terrarum orbe alium reperiri posse, qui altissimis negotijs in sua Republica occupatisimus, huius tam amplæ artis terminos magis nouerit, æquissimum eris iudicium facturus, quod cum aduersum me fuerit pronunciatum, puratissimus sum delere, & abolere omnia a me dicta, & cantata palinodia novo orationis genere omnibus hominibus meos errores, measque falsas opiniones commostrare. Si autem pro me fuerit nō defensam tamen confiteri librum esse viri doctissimi, & a me & plerisque alijs ob eius egregias uirtutes plurimi æstimati, sperans illum quoque animum suum compositurum, & omnia æqui bonique consulturum, ac cogitantem nihil esse facilius, quam in rebus difficillimis indagandis in aliquam falsam opinionem incidere. Scientia enim licet firma & congrua sit, non tamen facile inuenitur, yt qui eam non assequitur, ei maxima sit habēda venia. Et is eo magis tuo acquiescere iudicio debebit, quod nouit se abste uehementer diligi, & maximis fieri. Et si forte fortuna, quæ est tuarum occupationum magnitudo, uacare talium rerum lectioni non potueris, cum summum tibi intercedat amicitiæ vinculum cum excellentissimo, eodemq; Præstantissimo viro Massaria, Doctorum Patauij profitetum facile Principe, qui auctoris huius libri præceptor fuit, illi hoc munus, & iudicium deferre poteris, quem cum ego & iustum, & syncerum, & acerrimi ingenij virum semper cognouerim, illius iudicio & sententiæ libentissime acquiescam. Neque me interim penitebit ad te uirum Præclarissimum hæc mea scripta destinasse, sed potius uehementer letabor paruum hoc me munuscum, quale Donatellus potest donare, tanquam exiguum pignus, meæ in te obseruantæ præstitisse, a quo ceu peregrinus aliquis errans, & ab inuidiæ simul fluctibus & fortunæ iætibus exagitatus, exceptus, recreatus, ac defensus, beneficijque summis ornatus sum, cum mea humilitas illorum fuit præposita amplitudini, ac diuinitijs, qui meam dignitatem

DE FEBRE MALIGNA

infringere, ac præcipitem dare totis viribus coñabantur. Non te igitur pigeat, ut post longiorem fortasse quam oportebat ha bitum de hac re sermonem, & molestiam tibi simul exhibitā, omnem tibi felicitatem, & fortunam tuis meritis parem præca tus, sub tui celeberrimi nominis auspicio ad promissam di sputationem aggrediar.

Quid sit morbus malignus, & febris maligna.

Cap. II.



OMMVNE consilium ac præceptum est nullam aduersus principia negantes instituen dam esse dissertationem, nisi enim ea, quæ in scientijs disciplinisque pertractantur, cum in materiali subiecto, ac re ipsa considerata, tū præcipue in subiecto formalī, & considerandi modo conueniant, ea non ad unicam scientiam attinent, sed ipsius genus saltem proximū de necessitate transcendunt, & si inuicem conferantur, mutuoque discussiantur, nullum ordinē, nullam correxionem, sed inanes labores, & innumerās confusōnes pariunt. E conuerso, si sub eodem conueniant princi pio, & ad eundem considerandi modum redigantur, eorum collatio, nexus, discussio, & quorundam admissio, aliorum ue ro reiecio adeo facilis evadit & disceptationis legibus consentanea, ut is, qui alteram contradictionis ac problematis partem sustinet, contradicentem, eiusque rationes æquo animo audire, ac recte perpendere, & si probæ sint, eis acquiesce re, sin secus, melioribus argumentis refellere teneatur. Sed nul la potior, mea quidem sententia, inter Angelucium, & me, penes principia conuenientia excogitari potest, quām quod ain bo de febre, quam nonnulli malignam, aliij pestilentem vocāt, disputare aggredimur, ipsamque examini subiectiendam esse volui-

volujimus: non ut accidens quoddam, quod ad prædicamen-
 tum qualitatis redigitur, & in eo seriem & subordinationem
 quandam subjectorum prædicatorumque constituit: non ut
 ens quoddam est: non ut corporum, quæ generationi & cor-
 ruptioni obnoxia sunt, passio & alteratio quædam est: sed so-
 lūmodo quatenus humanum corpus adoritur, & ab eo de-
 pelli facile possit, & proinde ambo de natura & curatione
 huius febris disputare paramus. In alio insuper ab eo pri-
 mo loco proposito principio, ac theoremate cōcordes sumus,
 de maligna scilicet febre recte, accurateque scribere opus es-
 se arduum & per difficile. ad hēc tertium theorema cōmune
 quoque statuatur, Nulla videlicet mortales ægritudine peri-
 culosius iuxta & frequentius, quam maligna febre constata-
 ti. Quinimo ut tolerabilius, ac facilior nostra evadat disputa-
 tio, hoc quartum veluti nostræ contemplationis optimum
 principium vnanimiter concedamus, nempe huius tractatio-
 nis principium esse veram & exactam malignae febris defini-
 tionem. ac, si lubet, concorditer id addamus, tanquam théo-
 rema in ordine quintum, vt scilicet hæc ignorata natura, re-
 liqua omnia, quæ sequuntur, ignorari necessum sit. His omni-
 bus libentissimæ susceptis atque concessis, meum modo sit
 démonstrare reliqua omnia, quæ in hoc toto commentario
 ab Angelucio tradita sunt, & perperam scripta fuisse, & à veri-
 tatis tramite omnino recedere. Hoc autem & breuibus, &
 quodammodo generaliter, tum etiam longiori sermone &
 particulatim licebit ostendere. Breuibus quidem, ac per bre-
 uem quendam veluti epilogismum, si principio ab Angelu-
 cio proposito quis pro maiori vtatur propositione, eique mi-
 norem addat hoc pacto. Ignorata malignæ febris natura, reli-
 qua oīa, quæ sequuntur, ignorari necessum est, sed Angelucius
 hanc naturam penitus ignorauit, ergo &c. ille minorem nega-
 bit, & ideo ad nos spectat illam probare, sed priusquam id
 præstem, mihi liceat ostendere Angelicum naturam hanc

DE FEBRE MALIGNA

aperire & cognoscere nullo pacto potuisse, hoc enim pacto expurgatus facilius conticescet. Cum rei natura per optimam innotescat definitionem, si res definita multiplex & æquivalens sit, quia fieri potest ut recte definiatur, nisi prius recte distinguitur, omnisque ambiguitas, & equivoce tollatur? Eorum qui sciunt antiquus Magister adeo homonymiam abhorruit, ut omnium suorum librorum principium nullum aliud esse voluerit, quam æquivocorum cognitionem atque doctrinam ad hoc, ut illis probe cognitis in omnibus problematibus disquirendis, ac rebus omnibus pertractandis, tanquam pestiferum venenum nobis aufugienda essent. In hoc quem imitatus est Philosophus optimum agricolam, qui primo adimit impedimenta ad arandum (opus alioquin magis arduum) postmodum arat, & seminat. sic enim ille æquivocorum definitionem ei, quæ vniuersitatis competit, longe difficulterem, preferre non alia de causa voluit. Sed hoc fortasse solus obseruanit Aristoteles? Audiamus, quid hac de re dicat Galenus. Quintus porrò lapsus in definitionibus, quicunque prater certos est singularis (inquit ipse in secundo de differ. puls. cap. 3.) ab illis committitur, quia antequam homonymiam explicueant, vnam faciunt eorum, quæ varia significant, definitionem, quasi vero non rerum sint, sed nominum definitiones. Me certe unus aliquando de his præclaris Sophistis, nihil factum est proprius, quam ut enearet. Cum enim in hunc modum posuisset, quid est plenus pulsus? Subieci variæ significacionis nomen esse: quare nec definitionem vnam habere, nisi distincta homonymia sit. Nondum hæc dixeram, cum ille, nescio, inquit, quid nigeris: satis est mihi, si de te dilico, quid plenus sit pulsus. Dialecticas mihi istas nugas, quæ medicinam contaminant, mitte. At nihil me, inquam, audiui unquam laborare, ut in dialectica definirem. Enimvero id ipsum, inquit, absurdissimum est, quod neque definire auderis, & dialecticis nobis nugis non desistitis obstrepere. Sed dic, loquere,

quere, responde, quis plenus est pulsus? Non potest fieri, inquam, prius quam homonymiam explicauerim. Hic ille exclamabat: rursusque homonymiam & imminensas nugas adesse, quae medicinā labefactassent, ac nos perdidissent. Imo non nos, inquam, sed uos, qui definire cuncta uultis, perdiderunt. Ecce autem, inquit, etiam conuicij nos incessit. Non magis, inquam, quam tu me. Ibi ille exilij manus allaturus. Sed hic hominem, qui aderant represserunt. Senex autem quidam de illis, qui adhuc remanserent, tacete, inquit, pueri: absque tumultu agite: sinite socium nostrum aperire nobis, quid dicat. Ego hominem intuitus, quid, inquam, rogas? id, inquit, ipsum, de quo disputatis, de pleno pulsu. Vis igitur, inquam, non properare nimium, ut te assequar? Age, inquit, non properauero. Cum ad hoc obticuissent, ueritus ne cunctationem meam non ferret, festinabundus proposui. Quid est canis? Cum hic ex corona quidam responderet, animal quadrupes latrabile. Itaque marinus, inquam, canis animal est quadrupes latrabile: & sydus item coeleste: denique morbus faciei. Ad hæc senex, ut asinus aures iam concutiebat. Ceteræ coronae aliquid uidébamur dicere, uolebantque omnes, ut quo tandem haec spectarent, quæ exquisueram, expedirem. Vbi silerent, & mihi aures darent. Tandem uos, inquam, animaduertere puto, accedere ad definiendum ante, quam homonymiam distinxeris, quanta sit offendio. Neque enim nominū sunt, sed rerum definitiones. Quando igitur ab uno nomine res indicantur multæ, necessario erunt totidem definitiones, quot sunt res. Ex quibus Galeni clarissimis verbis clarum est Angelicum malignæ febris naturam assequi non potuisse, qui prius nominis æquiuocatione non distinxerit. Qui de pestilentia febre sermonem instituunt, nulla nominis habita distinctione ad eius naturam indagandam properare possunt, cum pestilens febris, siue cum peste sit, siue citra pestem, siue Epidemica & vulgaris, siue Sporadica statuantur, præter no-

DE FEBRE MALIGNA

minis pestilentis communitatem, eandem quoque rationem, quæ penes illius nominis substantiam spectatur, habere possit, nam quælibet febris pestilens ab ingenti, seu vehementi, seu intensa, seu excellenti, aut si mavis, prava, aut maligna, aut venenata putredine proficiscitur, & cordis potissimum vires cum uitalem, & animosam, tum pulsatilem demolitur. At Angelicus qui non de pestilentis febre se uerba facturum pollicetur, sed totius operis inscriptionem posuit, de natura, & curatione malignæ febris, ab homonymiæ distinctione immunitatis haberi non potest, cum constet apud omnes aliud esse malignitatem febris quatenus morbus est malignus, aliud malignitatem, quæ febrem, prout pestilens est, comitantur. Nam & articulorum vulnera maligna dicuntur, & ulcera plurima, & plurimi pariter tumores, &, ut uno uerbo dicam, innumera mala maligna & mali moris, seu male morigerata passim ab omnibus uocantur, quamvis ab omni pestilentia labe procul absint. quinimo quamplurimæ febres nullo, prædicto pestilentes sunt, quæ tamen, dum prava inferunt symptomata, yitalem uim aliquuin non ludentes, malignæ tamen vocantur, ut apud Galenum & omnes alios tum ueteres, tum modernos Medicos videre est: qui dum prauum aliquod obseruant symptomata, illud malignantem esse, & malignam febrem ariqueret, sepius affirmant. Cū enim primo de vulg. morib. sectu primo tex. 24. Hippocrates illius constitutionis, quæ nullo modo pestilens erat, sed vulgaris solummodo, seu simpliciter epidemica, morbos & eorum symptomata describens, sic habeat, sudabant semper, at non toto corpore, magna extremitas perfrictio urgebat, ut uix incaleferent, Galenus in contimento ait nos in presagijs didicisse hæc esse malignarum febrium symptomata. Et nullies idem Galenus maligna ea vocat symptomata, quæ febribus nullatenus pestilentibus communia sunt. Sed dicet ille, sufficit mihi, ut si non maligna febris, saltem malignus morbus sit quoddam uniuocum

quod vniuoce & aequaliter de maligna febre, & quocumque
alio maligno morbo praedicitur, quoniam maligni morbi ge-
nerica natura declarata ex consequenti omnium morborum
natura maligna erit aperta. Si quis enim declareret quid sit cor-
pus album, niuis postmodum, & calcis, & gypsi, & lactis albe-
dinem frustra declarabit. Quamuis diuerticulum hoc sit (mali-
gna enim febris absolute prolati, prout malignitatem, que re-
liquis morbis communis est, participat, a pestilenti uocata fe-
bre longe distat) nihilominus id omne eiconcedamus: non
tamen sequitur ipsum malignae febris essentiam aperuisse, si-
cuti nec ille, qui interrogatus quid nam sit homo, ipsum ani-
matum corpus sensibile affirmans, hominis naturam aperiet.
Sed aucto generis naturam ac definitionem traditam posse
speciei naturam itidem manifestare. Omnia posthac sigilla-
tim examinemus, & queramus ab eo quid nam morbus mali-
gnis siue morbi malignitas sit (si enim a morbo malignitatis
abstractione fiat, melius percipi poterit.) Ille hoc declarare uo-
lens pro principio sui discursus assumit Galenum in morbo
haec quartior distinguere videlicet ideam, magnitudinem, mo-
rum, & morem. deinde ait quod cum mos commune genus
sit maligni ac benigni morbi, impossibile est scire in quo mor-
bi maligni natura sita sit, nisi prius quis intellexerit, que nam
sint, per quae mos ab alijs tribus, idea inquam, magnitu-
dine, & motu, distinguatur, cum autem idea & motus cla-
ra sint, & quomodo a more distinguantur non minus clara-
rum, ab his paucis se explicat, & subdit difficilius esse magni-
tudinem a more sciungere. Separat tamen Galeni aucto-
ritate 3. de cris. 4. ita scribentis: Idea ex proprijs accidenti-
bus cognoscitur; magnitudo ex eorundem quantitate: mo-
tus ex tempore accessionis partium: mos ex accidentibus
superuenientibus. Ex qua colligit morem esse qualitatem
quandam morbo aduentitiam, quaest signorum superuenien-
tium causa. Verum quoniam haec forsitan moris definitio si-
bi ob-

DE FEBRE MALIGNA

bi obscura & moris naturam nequaquam aperiens, sibi videbatur (non enim qualitas hæc cum obscura & valde confusa sit, moris naturam patefacit, neque enim a posteriori, & symptomatibus productis aliquid colligi potest, præterquā quod natura hæc vel benigna, vel maligna sit, quod etiam prius, & lōge melius, quā qualitas illa, notum erat) ea propter ut hæc definitio melius præcipiatur, signorum genera in medium ad ducenda esse, ait. Ut aut id præstet, nonnullas Galeni auctoriates adducit, in quibus signorum diuisionem tradere existimat, quarum prima desumitur ex 3.epid.sec.3.com.34.in qua inquit Galenum signa diuidere in pathognomonica, & assidentia: hoc autem falsissimum esse paulo post apparebit. Altera elicetur ex prima aphor.sec.com.12. quo in loco scribit Gal. quod signorum aliqua significat passionem, aliqua assidentia, aliqua iudicat, aliqua coctionem, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem ostendunt. Qua posita divisione supponit, uti in tradita quoque definitione constituerat, superuenientia signa eadem esse quæ signa morbi morem iudicantia, quod a ratione alienissimum est, ut deinde planū fiet. Hoc autem principio alioquin falsissimo supposito, ita aruit. Non potest absolute dici signa superuenientia esse eadē quæ assidentia, quod quidem concedimus tanquam a Galeno manifestissime in fine commenti iā citati declaratū, & in super addo illam particulam (absolute) ab Angelicio positā superfluam esse, & nihil nos doccre, sed potius lectorē perplexum & confusum reddere posse: Non item potest affirmari (subdit ille) signa superuenientia esse eadem quæ iudicatoria signa. vt autem id probet, illico, nullo prorsus interiecto verbo, Galeni auctoritatem accipit, qua totum oppositum ab unoquoque qui mente penitus obsecratus non sit, colligitur: Sic enī habet Ang. Num Galenus ybi considerat rem hanc exacte differre scribit signa moris & iudicatoria signa libro tertio de cris.capit.4.cum, inquit, superuenientia accidentia trifariam

trifariam diuidantur, in ea scilicet quæ morem morbi natura ostendere apta sunt, & in ea, quæ affuturam proxime crisi denunciant, & quæ non solum signa sed etiam causas crisis posuimus & quæ sequuntur. Modo arguo ego per te superuenientia sunt eadem quæ moris signa: Sed superuenientia a Galeno in signa moris & signa crisis diuiduntur, ergo signa crisis sunt signa superuenientia, quia tanquam species sub generi superuenientium complectuntur. Addit tertio superuenientia (quæ a signis moris ex eo non differunt) non sunt eadem quæ signa salutis aut mortis. cuius dicti rationem assignat inquiens, quia malignitas febris, & signa prauis moris non tolunt signa salutis. sed probatio hæc nulla prouersus est, quia nihil aliud concludit, nisi quod in uno & eodem ægrotante, & eodem tempore, possunt esse plura signa, quorum nonnulla significant morbi malignitatem & mortem, aliqua benignitatem & salutem arguunt, quod sæpiissime in praxi usu uenit, & tunc, ut monent Hippocrates & Galenus cum nostra prædictio difficulter, & minus tuta euadat, oportet signorum ne dum numerum sed potissimum uim diligenter perpendere, ac inuicem conferre. Sed ille existimans hæc inuicem differre & huius discriminis probam ratione assignasse, idem rursus affirmare conatur Galeni auctoritate primo proreth. com. 14. in qua scribit. Malignos morbos appellamus, quicunque periculum minantes spem salutis non admunt. Sed parcat mihi uir iste tantum abest, ut ex his Galeni uerbis possit colligi hæc consequentia, ergo signa moris a salutis & mortis signis sunt diuersa, ut potius totum oppositum, & hæc esse eiusdem classis signa, sed penes magis & minus solum differentia, eliciamus. Cum enim salutis & mortis signa magis & minus suscipiant, nil auliud uoluit Galenus, nisi quod dum asserimus aliquod signum malignum morbi indicare, non tamen dicimus esse pessimum signum & omnino lethale, quemadmodum prorethicorum Auctor de tremore, qui

DE FEBRE MALIGNA

re, qui delirio ab atrabile cerebrum irrigante prouenit, super
 ueniente affirmare debebat, ille tamen auctor dixit malignos
 esse non autem mortificos. Vnde quis Angelucium non mi-
 rabitur in Galeni sententia adeo clara fuisse deceptum? Ille rāde
 ut traditam definitionem moris morbi probam & perspicuā
 reddat, ita habet. Non referri, inquit, signa superuenientia ad
 cruditatis & coctionis signa, uel hinc perspicuum est maxime,
 quia si praui moris signa stare possunt cum signis salutis, mul-
 to est probabilius cum coctionis signis illa stare posse. In his
 lineis, ni fallor, plures sunt errores quam dictiones. Omitta-
 mus ex diuisione prima aphor. 12. a Galeno tradita clare col-
 ligi moris signa ad ea quæ salutem & mortem, aut etiam co-
 ctionem & cruditatem significant, pertinere (secus enim Ga-
 lenus in signorum enumeratione valde diminutus fuisse.)
 Nonne coctiones, ut toties scribunt Hippocrates & Galenus
 salubrem securitatem ostendunt? nonne coctionis & crudita-
 tis signa ab Hippocrate & Galeno prima aphor. 12. inter su-
 peruenientias, seu mox apparentia signa (idem enim sunt) clare
 ponuntur? nonne Galenus 3. de cris. cap. 4. ab eo citato, co-
 ctionis & cruditatis signa speciem facit superuenientium si-
 gnorum? quod nam signum salutis magis certum reperitur,
 quam coctionis signum, quod tamē ab Angelicio diuersum
 ponitur? non ne labitur, quia non anima querit in eodem
 ægrotante tum salutis, tum mortis signa, tum boni tum mali
 moris reperiri posse, ut hac de causa cum Hippocrate, & Ga-
 leno signorum uim recte examinare debeamus? quid plura?
 nonne Gal. manifeste coctionis & cruditatis signa in nume-
 ro subsequentium & superuenientium accidentium morbi
 morem significantium collocauit? & id iure maximo, quia
 coctio benignum, cruditas rebellem & prauam & malignam
 materiam præsertim ostendit. Audiamus Galenum 3. de cris.
 cap. 4. Si benignus (ait) aut malignus sit morbus ex subsequen-
 tibus ipsum accidentibus noscitur, quæ omnia fecer Hippocra-
 tes

tes in progn. enumeravit. In his autem (notet Angelucius,) annumetare oportet coctionis, & cruditatis signa. Animaduertas , dicet ille , testimonium Galeni clarum esse in prima aphor. 12. signa cruditatis diutinum morbum significare necessario, sed ex se neque moriturum nec euasurum hominem ostendere, & ego hoc scio, fili mi, scio certe, sed illud quoque animaduerti eundem Galenum addere quod licet ex se salutem & mortem non ostendant, attamen, si vires ægrotantis expendatur, etiam ex his salutem & mortem licet præcognoscere. sed quid dicemus ad Hippocratis auctoritatē , in qua , inquit Angelucius, ipsum innuere diuersas res esse febrē esse simplicissimam idest benignissimam , & signis securissimis esse firmatam ? Quid aliud nisi ipsum fuisse deceptum , & Hippocratem non intellexisse? Vult enim Hippocrates de febribus sermonem faciens, quod simplicissimæ , & tutissimis roboretæ signis ad idem pertineant, & posterius sit prioris explicatiuum , & utrumque ad probum morbi morem significandum spectet, ut scilicet simplicitas ex signis tutis manifesta fiat. neque enim mos aliter dignosci potest bonus, vel malus, quam ex tutis & bonis, & grauibus, malisq; signis. Quod autem ad idem spectent, declarat Galenus dum postea in cōmento textus 13. eiusdem 3.lib.præfigiorum, ait Hippocratem eādem sententiam repetere, ut exemplis doceat, quæ nā optima signa sint . Ait enim Hippocrates (subdit Galenus) nam qui incolumes euasuri sunt, facile spirant, dolore uacat, noctu dormiunt , & alia signa tutissima habent: morituri vero difficulter spirant, delirant, vigilant, aliaque signa eis sunt pessima. ex his autem, quæ diximus, corruit ratio , quā ad idē probandum subdit Angelucius his uerbis. In febre supra omnem fidem ardentissimā , & acutissima nulla subest suspicio malignitatis: ad sunt tamē necessario cruditatis signa, quia, ut Galenus sēpe docet, cum signis coctionis nemo vñquam interit : quia & ego dicam eundem Galenum sēpius in lib. de

DE FEBRE MALIGNA

erisibus affirmasse neminem unquam absque lethalibus signis perisse, & insuper cruditatis signa malignum morbum, ut superius diximus, significant. & insuper ò bone vir impossibile est, ut in ardentissima, & acutissima febre signa absint benignitatis, & omnia malignitatis signa procul absint, quoniam, si non alia, difficilis saltem spiratio propter ingentem æstum, & vigilæ aderunt, & miraculū esset, si delirium, quoq; non adesset: quæ omnia pessima sunt signa, & malignitatem morbi significātia, ut Galeni auctoritate probauimus. Ex falsis itaque positionibus vult Angelicus, vt colligamus hanc conclusionem hoc pacto, superuenientia signa non sunt eadē quæ assidentia, non sunt eadem quæ iudicatoria, non sunt eadem quæ salutis, & mortis, non sunt eadē quæ coctionis, & cruditatis, ergo sequitur ut ad sola signa morbi morem indicantia redigantur, ergo sequitur optimam se tradidisse definitionem, in qua dixit morem esse qualitatem quandam morbo aduentitiam, qua est signorum superuenientium causa. Ego tamē qui iam eū Hippocrate & Galeno probauī in superuenientium, seu mox apparentium numero tum cruditatis, tum potissimum coctionis, nec non decretoria signa collocari posse, aperte dico definitionem (si tamen definitionis, non autem cuiusdam praxe descriptionis nomine donanda sit) esse falsissimam & nimis latam, & omnino explodendam esse. nam & morbi coctioni, & cruditati, & iudicationi, competrere potest. Mirum autem esse non debet, si ex hac falsissima tradita definitione, dum is verissimam putat, sibi occurrat dubitandū cur Galenus in duobus citatis locis videlicet prima aphor. 12. & 3. in tertium epid. 34. signa boni & mali moris prætermiscerit: & vt haric tollat dubitationem, in longe maiora labatur absurdum. Non enim Galenus 3. in tertium epid. 34. de signorum diuisione in pathognomica, & assidentia, vt ipse arbitratur, pertractat, sed solum dubitat quomodo si quis sitim infedabilem, & ardenter & fastidiosum calorem à febre

à febre adimat ardente tanquam pathognomonica ipsius indicia, possit ardentis febris species conseruari. Ita enim habet. Cæterum hoc loco magna de omnibus signis pathognomicis quæstio existit, nám si ipsis remotis species affectus potest conseruari, alia nobis suppetent signa his pathognomycis ad affectus dignoscendos certiora. quod si statuamus, certe quispiam illa esse appellanda pathognomica merito iudicabit: quæ vero ante pathognomica vocabantur, ea assidentia vocabuntur: ex quibus illa, id est pathognomica separari non possunt, & affectus (ut sic dicam) essentiam constituit, assidentia vero ex his sunt, quæ illis plerumque accidunt, hęc Galenus, qui de superuenientibus ne verbum quidem facit, quia ad suum institutum, & propositam dubitationem nullo pacto pertinebant. Sed quid absurdius secundū auctoritatis expositione, cum dicat Galenum superuenientia signa assidentium speciem putasse? nam ipse apertissime, ac scilicet omnia signorum genera proponens, affirmat assidentia nonnunquam simul inuadere, & proprias morborum differentias indicare, siue illae ad affectus magnitudinem, siue ad partem affectam pertineant, quemadmodum pleuritidis declarat exemplo, in qua dolor nonnunquam ad claviculam, nonnunquam ad hipochondrion pertinet, & decubitus interdum in partem affectam, interdum in oppositam est facilior. Sed parum hoc est, dum superius definitionem moris explicabat, superuenientia ab assidentibus sciunxit, hoc autem in loco afferit probabilissimum esse Galenum superuenientia signa assidentium speciem putasse. Sed quid tandem respondet ad dubitationem propositam? nil aliud profecto nisi Galenum neutrobiique exprouisse quid proprie sint superuenientia seu moris signa. Sed ò bone vir, paulo superius eius auctoritatem 3. de cris. 4. descripsisti, in qua ait, si benignus aut malignus sit morbus ex subsequentibus ipsum accidentibus noscitur, quæ omnia

DE FEBRE MALIGNA

fere Hippocrates in prognosticis enumerauit, in his autem annumerare oportet coctionis & cruditatis signa, in prognosticis uero non alia Hippocrates moris signa præterquam ea, quæ salutem & mortem indicant, quæ tamen tu diuersa facis, enumerauit. Vnde tu, qui aliam ab his naturam superuenientium & morem significantium signorū, quæ apud te eadem sunt, inuestigare tentas, nodum in scirpo queris. Sed videamus quæ nam superuenientia signorū, ex ipsius discursu deducatur definitio. Ex his deducitur (inquit Angelucius) signa superuenientia aduentitię cuiusdā qualitatis ad morbi exitū bonū uel malum plurimum facientis in morbo uel morbi causis repertæ esse significativa. Hanc porrò definitionem ex eo patet falsissimam esse, quia ex falsis assumptis, uera conclusio colligi non potest, assumpta uero a ueritate abhorre satis superque declarauimus. Sed ut Angelucius id melius sequatur, & ciui memorie tenaciter inhæreat: Rursus dicimus, quod exitus bonus nil aliud est quam salus, malus uero mors, salus autē & mors a salutis & mortis signis indicatur, nihilominus in superiori pagina asserit moris signa a salutis & mortis signis esse distincta. Hæc insuper definitio & assidue tibus & coctionis, & cruditatis, & decretorijs signis, ut unicuique patere potest, omnino competit. Ex hac autem definitione vult opinor, vt concludamus quod morbi mos nil aliud esse possit, præterquam aduentitia ipsius qualitas in morbo uel morbi causis reperta, ad morbi bonum uel malum exitum plurimū facientis, verū si aduentitia, quomodo in causis morbi repertæ? Ad hæc queret aliquis, quæ nā & cuius generis sit qualitas, occulta ne, uel aperta? prima an secunda? aut potius dispositio uel habitus? neque enim sub figura uel forma, aut naturali potentia uel impotentia eam quis locabit. Præterea si aduentitia est, & proinde a morbi natura, non prodiens, a quo prodibit? a causis, dicet ille. Cur itaque in definitione disiunctiue loquitur, & morbi quinetiam meminit?

meminit? siccinae traduntur definitiones? hoceine est rei naturam aperire? Quæ nam poterunt ab hac explicata benigni vel maligni morbi definitione curatiæ, indicationes hauriri? quæ præfigia? Non ne obscuritatis & confusionis plena est? & post longum audientis laborem nil prorsus docet. Exempla vero, quæ subduntur, ridicula omnino sunt, præser-tim dum inquit bilem putrefactam, ut putrefacta est, febrem gignere, bilis enim, ut putrefacta est, non amplius febrē creat, sed quatenus putrescit, nam putredine finita febris cessat. Et prout putrescit, non febrem simpliciter generat, sed febrem putridam. dum autem addit, quod quatenus bilis, ore ventri culi vellicato, syncopem, & ciborum fastidium indncit febrē gignit malignam, causam malignæ febris ab eo paulo post al latam poenitus euertit, quia sequitur malignam febrem non ex solo prauo humore & sordido, sed etiam ex oris ventriculi imbecillitate, si ita fors ferat, ut patientes ea laborent, excitari posse, quia hi a bile etiam naturali, & nulla praua putredine, & sordicie inquinata, in febribus praua ab eo enumera-ta symptomata perpeti consueuerunt. His peractis mouet instantiam, & eius solutionem ponit, in quibus arbitror neque. Porphirium, neque Auerrhoidem ipsum, si in humanis essent, uel dubitationis, uel responsionis vim, aut cum superioribus nexum, aut illationem, aut consequentiam aliquā, aut argumentandi formulam ex eius dictis excogitare posse, & tota hæc pagina adeo innumeris scatet erroribus, ut longo uix tēpore possent omnes explicari. & postmodum concludit, quod ex tanta rerum falsitate, ignoratione, & confusione facile est colligere quid sit mos, & quomodo ab idea, magnitudine & motu distinguatur. Et qui nam benigni morbi sint, & qui maligni, quod utrum uerum sit, qui illa scripta uiderint, iudicium ferant. Demum contra ea, quæ de more, de signis superuientibus, & de benigno ac maligno morbo ab eo scripta fuerunt, tres assert dubitationes, quarum prima

DE FEBRE MALIGNA

ma ad malignitatis nomen declarandum spectat, secunda
ad distinctionem inter morbi malignitatem & magnitudi-
nem, tercia, quam mouet Argenterius, ad morbi malignitatis
naturam pertinet. Cum tamen aduersus decreta, quæ falsa
sunt, frustratoria sit omnis dubitatio, frustratorium quoque
esset, uel ipsas dubitationes, uel eius responsiones longiori
examini subiectere. Omissa igitur prima tanquam nullius mo-
menti, dum secundā assert, inale ascribit Gal. ipsum uoluisse
quod malignitas morbi aliud non sit, quam maior quædam
recessio à naturali statu, sed id probat Angelucius, quia lib. de
totius morbi temporibus, c. 6. scribit morbus, qui sua natura
magnus sit, ex urinis oleaceis, foedis, pinguibus, & alijs le-
thalibus signis manifestari, at urinæ tales indicia sunt maligni-
tatis, ait Angelucius, id est igitur malignus morbus, qui ma-
gnus. Ex qua quidem dubitatione ita proposita, primum col-
ligo Angelicum sibimet contradicere, nam in hoc capite sae-
pius salutis & mortis signa à signis morem indicantibus se-
iunxit, nunc autem cum Galeno fatetur signa hæc & reliqua
lethalia signa esse malignitatis indicia. Secundo dico quod
Galenus eo loci hoc non asseruit: nec potest hæc consequen-
tia colligi, urinæ oleaceæ significant magnum morbum, er-
go significant magnum recessum, quia tunc Galenus per ma-
gnum morbum non intelligit recessum, sed magnum gene-
raliter dictum, qui tres morbi magni significationes comple-
titur. nam magnitudo ut etiam Galenus fatetur secundo de-
differ. puls. cap. 6. valde æquiocam habet significationem
quinius ipsem Angelucius triplice magnitudinis significa-
tum ex Galeni auctoritate quarto meth. 6. statim subinsert.
vt quis iure ipsum mirari possit, quomodo tam clara Galeni
dicta non sit assequutus. Addo tertio responsione ad pri-
mam dubitationem inanem prorsus esse. cum enim non ape-
riat, qua de causa, non omnibus, sed quibusdam tantummo-
do insidiosis & obscuris malignis existentibus morbis, etiam
ij qui

ij qui aperte maligni sint, qui longe plures sunt (nam etiam malignæ febres per propria malignitatis signa se pandunt) tale nomen fuerunt sortiti, dubitationem nullatenus euellit. quinimo valde hallucinatur, dum ait externa quedam vlcera morbos esse malignos, sed apertos, eo quia sensibus pateant, licet enim soluta continuitas, & vlcus, qua vlcus, sensibus patet, nihilominus eius malignitas, & vlcus, quatenus malignum, difficile cognoscitur, & obscurum est, & non nisi ex una medicamentorum, & curationis institutione deprehendi tur. Omissa autem solutione secundæ dubitationis, quam potuit ex Galeni uerbis, illico post dubitationem proposita descriptis, diluere: Certum est, quod responsio quam assert ad tertiam, nulla est, & Galeni interpretatio erroribus scatet: nam magnitudinem nunc cum malignitate confundit, & impossibile est, ut magnus morbus plurima habeat salutis signa. quomodo autem ea Galeni auctoritas primo pro reth. audienda sit, superius declarau. Neque minus falsum est maligna vlcera, que sunt in extima carne, & longissime absunt a partibus præcipuis, à quibus pendet animalis uita, uitæ periculum minare non posse, si enim pars alioquin remotissima, consortium, & colligantiam cum partibus habeat principali bus, & præua symptomata, & mortem ipsam inferre potest. quo fit, ut articulorum vulnera, etiam si non sunt in parte uitæ necessaria, sunt tamen maligna, quia grauia his subsequuntur, symptomata, & maximum periculum minantur. In huius denique capitil calce colligit morbi malignitatis definitio nem, inquiens illam esse qualitatem adscitiam ad morbi extum bonum, uel malum momenti plurimum habentem, in morbo uel morbi causis reperram. Et quamvis tanquam falsissima & inutilissima satis superque a me fuerit in superioribus reiecta, liceat tamen hoc unum addere presentem definitionem non morbi malignitati, sed mori tantummodo adaptari posse. Absurdum autem est in exiguis ulceribus malum exitum

DE FEBRE MALIGNA

exitum esse semper difficilem sanationem, cum eorum pluri-
ma, & præsertim cancerosa, & articulorum cruenta ulcera,
seu uulnера mortem facile possint accersere, ut ex 4. meth. a
Galenو docemur, quo in loco vulnera hæc ab eo cacoete,
uocantur. ab Hippocrate autem & Galeno ulceris & vulne-
ris nomen lèxissime confunduntur.

De causis, & locis malignæ febris.

Cap. III.

SVPERIORIS capitis rubrica, seu titu-
lus sicut de natura maligni morbi & malignæ
febris, seu quid sit morbus malignus, & ma-
ligna febris, nam quidditas, & natura idem
sunt: Veruntamen conscius ipse sibi, se febris
malignæ naturam, & quidditatem minime
declarasse, in hoc capite, quod de causis & loco malignæ fe-
bris inscribitur, rursus, nescio qua alia ratione ductus, ad
formam, quæ quidditas ipsius est, declarandam accedit, &
reliquis Medicis præsertimque præceptore suo doctior vide-
ri volens, insigniori putredine non contentus, addit fœdiore,
& fœdidiorem (quasi his verbis intimius huius febris natu-
ram penetrauerit) putredinem esse malignitatis formam. vt-
que id probet, Galeni testimonium & auctoritatem sibi non
deesse putat: cum tamen Galenus in auctoritatibus ab eo
adductis, de fœdicie, & fœditate ne uerbum unquam fecerit,
imo unica excepta auctoritate, quæ est 3. in tertium epid.
23. in qua magnam putredinē appellat, in reliquis locis nul-
lum adiunctum, aut epitheton putredini apposuit. Sed toto,
ut aiunt, cœlo aberrare mihi videtur, dum pro formalī mali-
gnæ febris causa efficientem proponit. siquidem putredo,
propt calorem habet annexū febris causa est efficiens, ut

lib. de morb. causis docet Galenus, prout est quidam determinatus modus augendi, & excitandi calorem, & quatenus putredo est, causa efficiens euadit putridæ febris: prout putredo, & passio hæc à praua, & maligna illuit materia, malignam febrem itidem effectiue producit. si quis vero vterius perquirat, quæ nam sint huius putredinis cause, is non amplius malignæ febris (vt Angelucins arbitratur,) sed putredinis causas indagatur. & tunc, vt Galenus, & Aristoteles docent, hic quarto, metor. cap. proprio, ille ij, Meth. & 3. in 3. epid. com. 1. putredo omnis ex humida fieri materia uidetur, ex causa uero efficiente extraneo præter naturam calore. Quod si vterius inuestiget a quibus causis extraneus hñc calor exuscitetur, tunc ad prohibitum perspiratum, ad obstrukiones, & adstriictiones, & consimiles causas putredinis, sed mediatas, configuet, quemadmodum crudi, & viscidi, & crassi succi immediatae, & proxime obstructionum cause sunt, aucti vero caloris remotæ, & putredinis remotissimæ existunt. Quod si proprij oblitus instituti, & capitis inscriptionis diceret se non febris malignæ, sed malignitatis febris formalem causam assignasse? inanis esset fuga, quoniam causa, quæ dat esse rei, in eodem genere cause dat ea, quæ rem ipsam consequuntur: & si putredo febrem creat, prout praua & maligna est malignitatem febris effectiue producit. Sed rursus se se extricare contendet inquiens, non malignitatis febris, sed putredinis ipsius malignitatis formam tradere, sed in maius tūc labitur absurdum, quia cum sordida, maligna, uehemens, seu intensa putredo in idem recidant, nihil distabit causa à cäfato, & forma ab eo cuius est forma, quod tamen a ueritate alienum est. nam luminis priuatio ab ecclipsi, & animal rationale ab homine, si non re & subiecto, saltem nomine, & ratione, distant. Dicet ille, non considero malignā putredinem per se & absolute, sed in respectu ad humanum corpus, quod affligit. si sic, ergo, prout malignam febrem in eo producit,

D considerat,

DE FEBRE MALIGNA

considerat, & subinde cogitur fateri causam efficientem esse malignæ febris, ut supra dictum est. Dicet tandem, quomodo sordidior putredo non est forma malignitatis in febribus, cū impossibile sit aliam ipsius formalem causam excogitare? apud illam forsitan est impossibile (Nam scitum est Arcessilai dictum. Nemo vellus portat ad fullonem) non tamen apud eos, qui in logicis disciplinis fuere versati, & Aristoteles, & Galeni dicta recte percepérunt. Si enim per malignantem febrem eam, quæ non pestilens est, intelligimus, sed male morigeratā solummodo, hanc formaliter considerando vñā cum Galeno eam esse dicimus, quæ periculum minatur, & praua insert symptomata, vt ait quarto Methodi, & primo proreth. 14. aut in qua prauorum symptomatum periculum instat. Quod si pestilentem intelligamus, eius forma consistit in hoc, vt hæc praua symptomata præcipue, & principaliter in cor ipsum inuehat, & facultatem vitalem dictam, fatiget. Sicuti autem putredinis forma interitus est seu corruptio natuæ caliditatis, ita malignæ putredinis forma est vchemens, seu praua & venenata eiusdem natuæ caliditatis corruptio. Sed clarius adhuc loquemur, si formæ subiectum addendo, eam corruptionē, aut potius combustionem quandam esse dicamus venenatæ & prauæ humiditatis, seu materiæ. nam quale putredinis subiectum est, talem esse passionem & putredinem ab eo profectam necesse est. In toto vero subsequenti discursu nil aliud demum concludit, quam putredinē quamlibet ex caliditate, & humiditate communiter oriri, quod nemo est, qui ignoret. licet falso quodam corrolario, id colligat, dum ait tandem, quod calor & humidum præter naturam nihil aliud sunt, quam putredo. Videns postmodū se nihil ad malignitatis causam attinens declarasse. (In omni siquidem putredine sordices reperitur, quia omnia putrescentia propria humiditate ab extraneo calore euocata, inquinata, & sordida euadunt) aut forsitan aliquid excellenti putredine

Dine obscurius proposuisse , cur putredo maligna seu inten-
sa, aut, ut ille ait, sordida euadat, explicare aggrediēs, ad quo
rundam auctorum vt Fern. Veigae, & præceptoris sui placita
se consert , & eorum dictis, ut arbitror, malæ & ordinatis, &
intellectis, (modo enim de malignæ putredinis causa interna,
& immediata loquitur , nonnunquam de loco, interdum
de causa externa & confusissime uerba facit) postremo lo-
co duo colligit Theorematum unum ex præceptoris sententia,
aliud ex propria opinione aduersus Georgium Agricolam.
Primum est posse reperiri pestem sine febre , quod nos non
negamus , quippe quod ex Galeno colligitur , sed dum
subdit deinde , quod fieri potest, ut homines varijs parti-
tum in orbis laborent absque ulla febre, eo quia uenenati
humores aggregari, putrescere, & corrupti possunt extra ve-
nas tantum, & illi pereant, quia putridi halitus è putredinis
foco ad cor mittantur , & necem afferant , & spiritus extin-
guant priusquam febrem succendant: hoc nos tanquam abso-
num rei ciendum esse arbitramur, quandoquidem a quocun-
que foco putridi halitus eleuentur , si hi cor petant, necessa-
rio putrida febris accenditur , vt ex Galeno primo de differ.
febr. clare colligimus. Neque ullum pondus habet probatio,
quam statim subinfert, quia licet venena ab animalibus iacu-
lata cor petant , & illud corruptant absque ullo febris inter-
uentu; attamen nulla putredo, seu putridi halitus cordi com-
municantur. nam putredo a corruptione ualde distat. Secun-
dum Theorema est, falsissimum esse reperiri pestes aliquas
cum febre intermittente, quod quamvis alij quoque ante ip-
sum asseruerint, & longe melius demonstrauerint, falsum ni-
hilominus est nullum reperiri locum in toto Hippocrate &
Galenō unde hoc colligi possit, quia tradit Hippocrates 3.
in tertium epid. tex. 64. in illa peste, quæ sua tempestate plu-
res regiones popula est, vulgatas fuisse tertianas, quartanas,
& quotidianas, quas nomine nocturnarū appellat. Nec est ut

DE FEBRE MALIGNA

has continuas accipiamus, quia etiam continuas propria uoce subiungens enumerat, & subinde ipsas ab intermittentibus iam dictis disiungit. Postea quam uero quibusdam obiectationibus responsione in ab Hippocrate, Galeno, & innumeris alijs de promptam attulit, quæ causam reddit, cur pestis modo hoc, modo illud animalium genus corripiat, respondet cuidam aliæ dubitationi, quā superius propositam fuisse supponit. Ego tamen (ut ingenuo fatear) cum diligentius ipsam perscrutauerim, nunquam potui adiuuenire, quare & responsionem tanquam inutilem & falsam mihi liceat prætermittere: quod autem falsa sit, ex eius uerbis colligo, in quibus ait. Non enim abundans humiditas putredinis fœdæ (seu dicamus nos malignæ aut intensæ) causa est; sed illa, quæ est inepta, ut ab innato calore contineatur: possunt febres aliæ manneriam habere humidum, sed non magis refugientem a calore vitali: hoe enim putredinosæ tantum humiditatis est proprium, hæc ab illo. Sed dicam ego in quaenque putredine cuiuscunque sit humoris, seu humiditatis, rei putrescentis humiditas effluit, & ab extraneo euocatur calore, & ab innato rei putrescentis calore non amplius coheretur, ergo quæcumque humiditas putrescens pestilētem febrem, aut malignam creabit. Postea quam formaleni causam se aperuisse credidit dubitat, qua nam qualitate putredinis malignitas humanæ uitæ insensor sit, caliditate ne, an humiditate. quæ quidem dubitatio ad putridam febrem generaliter acceptam potius attinet, quam ad pestilentem, in qua praua qualitas occulta potius & humanæ uitæ a proprietate aduersaria cor & innatum calorem demolitur, quam humiditas uel caliditas. Et quamvis satis incongrua sit comparatio, cum humiditas ex parte materiæ, & ex parte passi, caliditas uero ex parte efficientis, se teneat, & omnes sciant nullam esse ferè comparationem inter passiuam & omnium imbecillimam, & ut sic loquar, indolentificam qualitatem, & omnium maxime actiuam, nihilominus

nus respondet ad dubium inquiens putredinis calorem magis ægrum vrgere quam illius humiditatē. Cuius rei causam reddens, inter cætera quæ profert inconuenientia (quæ plura sunt) illud absurdissimum habet, putredinosam humiditatem per accidens, putrediniosum uero calorem perse in arcem uitæ, & innatum scilicet calorem agere. quasi calor calorem, & idem se ipsum per se corruptat. quid turpius? calor enim per se non nisi a contrario patitur frigore. quod si calor præter naturam & intensior, in natuum & minus intensem agit, & aliqua contrarietas penes intensem & remissum adesse videatur, id tamen nobis non aduersatur, quia intensior calor per se remissum intendit; & extraneus & intensus in natuum & remissum seu moderatum agit, non per se, sed ex accidenti & secundario eius scilicet, subiectum & humidum corruptendo, & absumento. Muet deinde duas dubitationes, quæ maximam caloris actuitatem in corpus humanum maligna febre conflictatum tollere uidentur, in quibusdam uero fundamentis, qnæ pro ijs diluendis ab eo proponuntur, & in earum solutione, quot errores committat, vix potest explicari. quid plura? ad id usque uenit, vt assérat humores sordide putres non ideo maxime nocere, quia calor multus præter naturam in illis uigeat actu, sed quia calidi sunt uirtute & energia. Et statim sibi ipsi contradicens ait, quod quamuis calor præter naturam in ijs humoribus factus sit remissior, in alijs tamen humoribus, quos deinde aggreditur, intensior semper & estuositatis redditur, & sic priorem responcionem, distinctionemque de calore actu & potestate labefactat. Sed parum hoc est, nam paulo post affirmat sordidam putredinem antequā toti massæ humorum communiceretur, actu & seipsa paruin naturæ non cere, uirtute, & per esse etus, quos edit, illi esse nocētissimam, quid pulchrius? quid doctius? Quid alijs uerbis est opus? Galeni demum auctoritatem interpretatus 9. simplic. capit. de terra

DE FEBRE MALIGNA

terra samia, in qua scribit febres pestilentiales calore non esse uehementes, eandem inculcat distinctionem, scilicet, has febres, quatenus pestilentiales sunt, actuali calore non esse uehementes, sed energiaco uehementissimas esse. sed me lius fecisset dicendo pestilentes febres, ut pestilentes sunt, neque actuali, neque energiaco calore, neque ulla alia manifesta qualitate agere, sed solum praua eaque recondita, cor di tamen & humanæ uitæ inimicissima. Seipsum autem declarans subdit, se ita pronunciasse, quia licet pestilentiales, vt pestilentiales, actuali calore non sint uehementes: nihilominus quatenus in ipsis interna uiscera magna aliqua laborant inflammatione, sunt calore actuali uehementissimæ. & statim sibi ipsi contradicens inquit Galenum adimere in febris pestilentibus uehementem calorem tum extra tum intus: quod an possibile sit interno uiscere inflammatione laborante, & utrum Thucididis historiæ, & Auic. dictis concordet, alijs iudicent. Thucidides enim resert tantum fuisse in ea peste in intimis partibus calorem, vt ne uel leuia tegumenta proferre possent. Et Auicen. ait, quod sicuti hæ febres mitescunt exterius, ita conturbant interius. adeo enim intus exuriunt, vt dixerit Galenus syntexim seu colligationem huiusc febris inseparabile signum esse. Iam uero de causa esse & trice, quæ omnium maxime erat explicanda, & præsertim à qua nam causa sordida illa putredo generatur, ne uerbum profert, quod reliquis putridis febris quibuscumque non sit commune. In materia autem malignitatis contemplatione peregrina, vt uideo, & praua illa utitur distinctione, inquiens hanc materiam vel esse continentem, vel subiectuam. Primam porrò explicans hanc cum affecto loco, & malignæ putredinis foco confundit. Si enim vere loqui uelimus, malignæ febris subiectum non praui humores, sed humanum corpus est totum. Malignæ, autem putredinis materia subiectumque prauæ sunt humiditates putrescē

tes loca vero, in quibus prauæ illæ humiditates reperiuntur, rectius præcipuae partes, & primario affectæ, & putredinis formites seu mineræ nuncupatur, ut apud Galenum uidere est, tum alijs in locis, tum potissimum in 11. meth. med. dum ita scriptum reliquit. Ac si quidem totum corpus dictorum iam singula, idest putredo, obstrunctiones, & alia, occuparint, etiā toti corpori per contraria succurrendum est: sin unam partem quampliam putredo inuaserit, illi adhibenda iam dicta sunt remedia. Sane non easdem omnes partes uacuationes medicamentaue requirunt, cum & temperamentis, & posituris, & forma, & omni denique constitutione naturaque inter se dissideant. hæc a Gal. At uero de subiectu ab ipso uocata materia loquës nihil sui in mediū profert. Sed solis aliorum placitis contentus fuit. Inter quæ dari ephemeram pesti lentem affirmat. Quam cùm sciam inter modernos, quosdam non ineptis rationibus reieceris, quas Angelucius, proprijs dictis nulla ex parte labefactat, in ea refellenda non immoror. Hoc vnum noto, quod dum habet odoramentorum uim spirituum substantiam solum attingere, valde fallitur, cū ignoret Galenum 4. de loc. affec. 8. pro pulmonum substantia ualenter exiccanda, ut homines a phthisi præseruaret, sepius odore inéritis & præsertim hedycrois, & alijs præciosis, & odratis unguentis fuisse etiam usum, frustra autem id fecisset, si spirituosam tantummodo substantiam attingere possent. Dum aut̄ probare nititur, quod próptius humores illi putres ad malignitatem uergūt, qui propter inflammabilitatem vel adustione uel pinguedine contractam facile inualescunt, & diutius propter crassitatem calorem impressum retinent, exempli adducit cancri & elephantiasis, quæ totius cancer est, quod quidem proprio dogmati aduersari maxime videtur, nam omnes tumores cancerosi, & ex adusta melancholica geniti, egerrime ad suppurationem deueniunt, quia eorū materia putredinem uix concipere potest, quomodo uero bilis,

amara

DE FEBRE MALIGNA

amara cum sit, pituitæ pinguedinē tribuat, explicatu difficile est, nam pinguia fere omnia dulcia sunt, & dulcia sæpius pingua. Sed dum paulo post subdit humorem biliosum malignum à Galeno appellari, cum erodit, & putrefacit, quid ad rem? aliud enim est carnes, & solida corpora exulcerare, aliud malignam putredinem inducere. Dum suppónit talem euadere bilem dum crassior fit, crassiorem uero fieri propter pituitosum succum admistum, ualde aberrat, quia bilis illa crassa erodit, quæ syncera est, & a colore exusta ternioribus resolutis partibus crassior est reddita. Si uero pituitæ, quæ propria frigiditate, & humiditate uim erodentem obtundit, misceatur, nō adeo facile erodit, ut nobis erysipelata, in quibus bilis cum serosa sanie miscetur, & erysipelata cedemato-sa, manifestant. Phagedenæ uero & serpentia ulcera à bile crassa, sed potius syncera procreatunt. Sed quid frustra id probo, cum Angelucius paucis post verbis affirmet bilem ex se symptomata inducere acutissima, pituitam uero bilis impetum retundere? Quod autem inquit eos, qui maligna febre laborant, si quis tangat, primo tactu carnes leuiter calentes habere, sed diutius manu contingente candentis ferri si-millimas exhiberi, se parum in medendis malis exercitatum ostendit, & dum id a pituita prouenire affirmat, in Galeni libris præcipuis non esse uersatum patefacit. Is siquidem secundo de differ. seb. cap. 9. ait manum, dum pituitosa materia putescit halitum & uaporosum calorem veluti per colatorium, & cribrum quoddam transmissum percipere. Sed alijs, adductis ab eo auctoritatibus seu parum intellectis ommis-sis, accipio illam, a qua deinde ratiocinandi occasionem sumit. Hippocrates (inquit) primo epid. sec. 2. tex. 25. ait febres quasdam uulgatas eo tempore fuisse, quæ omnino nunquam intermittebantur, sed inuadebant omnes more febris tertia-næ naturam referentis, & uno die aliquantum remittebantur altero ingrauecebant, & omnium erant, quæ in id tempus in ciderunt,

ciderunt, violentissimæ, longissimæ, & laboriosissimæ & cætra quæ sequuntur. Sed cōcedamus Hippocratem de malignis & pestilentibus febris sermonem habere, quod tamen falsissimum est, quia constitutio illa nullo pacto fuit pestilens, & in super ut Angelucius quoque concedit, malignæ & pestilentes febres acutæ sunt, Hippocrates vero ait has febres aliarū omnium quæ in id tempus incidētū, fuisse longissimas: esto, inquam, eas fuisse pestiferas, & ex hoc videamus quomodo in logica & conficiendis argumentis se gerat format. hunc syllogismum hypotheticum. Aliquæ malignæ febres sunt tertianæ continuæ non tamen exquisitæ, ergo sunt spuriæ; sed quid tū? ergo febres malignæ sui natura sunt tertianæ continuæ spuriæ? consequentia non valet, quia ex particulari assumpto non nisi particulare consequens colligi potest, ergo sequitur, quod aliqua solum maligna febris erit tertiana continua notha. Præterea si sui natura omnes tales essent, sequeretur, quod è conuerso causi nothi essent pestilentes, aut omnes, aut saltem ut plurimum, quod est falsissimum. Eli cit deinde aliam consequentiam non minus falsam hoc pācto. pestilentes sunt tertianæ continuæ spuriæ, ergo sunt ex pituita bili permixta vtroque humore putrefcente malignæ. Cur autem maligniter putrēscant, aut quomodo id fiat, non aperit. Postea consequentiæ absurditatem à longe aspiciens, dubitat an cum bile pos sit interdum atrabilis permisceri, idque concedere, & quibusdam fruolis rationibus probare videtur, & quasi eadem sit ratio de humoribus in uenis magnis, & extra venas, seu ut aliij tradunt in p̄cordijs, & primis venis putrēscenibus, subdit dubitandum non esse de spuria tertiana ex atrabili (per tertianam autem absolute pronunciata non nisi intermittentem Galenus, & omnes intelligunt) quia Galenus 2. de differ. febrium. 8. ait quod per ea, quæ de biliosa, & pituitosa febre simul mistis scripta sunt, licet ad melancholicam febrem transferendo, eius cum vtra-

DE FEBRE MALIGNA

que illarum complexionem, ac confusionem pariter cōiectā
ri. Sed quid ad rem nostram, cum Galenus eo loci nō de spu-
rijs tertianis, sed de tertianis cum alijs febribus complicatis
loquatur? imo ad rem maxime facit, subdit ille, quoniam si
vno & eodem tempore in diuersis focis bilis, & melancholia
possunt putrefcere, quid impedit, quo minus in eodem foco
contineantur? sed esto vera consequentia, non tamen valet
hæc sequella, in eodem loco continentur, ergo in eodem lo-
co simul putrefcunt, quia sequeretur etiam, quod oēs febres
continuae, ex succis alimentib⁹ putrescentibus profectæ,
essent spuriae, cum succi alimentales semper diuersi generis
in eodem loco contineantur. Sed multo minus ualeat hæc
alia, sunt in eodem loco, ergo in eodem loco inuicem misti,
& vnam quandam, ut ait Auicennas, complexionem načti hi
duo humores bilis scilicet & malencholia, eodem tempore
putrefcunt: ita vt vterque humor putredinis principium, aug-
mentum, declinationem, & incinerationem simul & eodem
tempore nanciscatur. Quæ vero ab illo subdantur rationes
ad idem probandum, prorsus inanes sunt, & ab alijs moder-
nioribus labefactatae. Hoc unum addi potest, quod in uenis
alimentales succos continentibus, facile est, vt propter corū
mutuam aggregationem, miscellam, & contiguitatē, inuicem
exāctius misceantur, & ita simul misti putrefiant: non autem
in alijs locis a uenis propositis separatis, atque distantibus.
Dubitat postremo (quamuis dubitatio frustratoria sit,) quæ
nam ex his duabus febribus mothis sit dexterior, & carpit Al-
timarum, qui de intermittente tertiana febre loquens, ait no-
tham, quæ fit ex bile & pituita magis formidandam ac diutur
niorem esse. Sed quid? non ne sæpius experimentum nobis
demonstrat has febres per plures menses perdurasse? non ne
in quodā iuuene id obseruauit Galenus? sed Angelucio par-
cendum hoc est, quia per paucos annos, medicinam fecit.
Male tamen se gerit, dum addit, ea, quæ de intermittente se-
bre

bre dicta sunt, posse quoque ad continuas transferri, cum ualde sit dispar ratio, vt infra apparebit. Quid autem uelit, dum in fine capitum scribit malignam febrem posse fieri ex humorc vno varie secundum varias partes constituto, idque ita accipiendum esse, ut referatur interdum ad partes quantas, interdum ad partes quales, quia eadem humoris pars secundum quantitatem accepta potest qualitate, & vi actuosa ægrotum torquere benigne & humaniter, qualitate vero energiaca, & latente trucia symptomata inducere, ego prorsus non intelligo, & Delio, vt opinor, ei opus esset enarratore.

Ad quod genus febrium reducatur maligna febris. Cap. IIII.

SN tertio capite quatuor problematibus propositis, primi solummodo discussionē profitetur. illud autem est, ad quod nam genus febrium maligna febris redigatur. Quamuis autem in superiori capite malignam febrem non modo ad putridam, verum etiam ad hēticam & ephemoram reduci posse affirmauerit, sui tamen oblitus, quasi ad putridas tantummodo redigatur, ommissis duobus reliquis generibus, ad aliquod putridæ febris genus attinere supponere uidetur. Et illorum ante omnia sententiā euertere conatur, qui eam ad synochum reducendam esse affirmarunt. & quamuis hi per plures annos artem medicam diligenter exercendo, id uerum esse experimento ipso obseruarint, ipse tamen adeo sibi arrogat, ut eos dicat toto cœlo aberrare, eo quia in febribus malignis particulares, & recurrentes accessiones non uiderint, quasi sibi maior adhibenda sit fides, qui uix per biennium aut paulo plus medicinam fecit, quam ijs, qui in praxi iam occaluerunt, & inueterati sunt.

DE FEBRE MALIGNA

Sed missam facio experientiam. Duabus putat rationibus eorum sententiam labefactare, cum tamen ambæ ad vnicum argumentum, & illud leuissimum & minime concludens redigi possint. Quod quidem vt obscurissimæ illius doctrinæ lumen aliquod afferamus, ad formam syllogisticam secundi modi secundæ figuræ ita reducatur. Febres synochæ seu continentes ex sanguine uel seruente, uel putrescente oriuntur: Febres malignæ neque ex seruente, neque putrescente sanguine fiunt: Ergo malignæ febres non sunt synochæ. Maiorem porrò propositionem veram & vniuersalem esse, vti cū decebat, nulla ratione probat, sed solum eius terminos declarat, aitque synochū putrem ex sanguine fieri putrēscēre, id est ad putredinē cunte, nō autem iam putrefacto, si enim, inquit, iam putrefactus sit, sanguinis formā iam amisit, & in flauā, uel atrā bilem abijt, & proinde ex eo iam putrefacto uel biliosa, uel melancholica febris, & subinde vel tertianos, uel quartanos circuitus habens generatur (hanc autem distinctionem attulit, ne quis ei Gal. auctoritates obijceret, in quibus ait tres solum esse putridarum febrium penes succos putrescentes differentias, & sanguinem putredine exustum in bilem flauam & atram migrare) sed deinceps sanguinem seu aggregatum illud ex quatuor succis alimentalibus conflatum, & exactæ mistum per putredinem exustum & assatum in bilem flauam, & atram migrare, non ob id sequitur omnes continentes febres ex sanguine fieri putrescente, hoc est ad putredinem eunte: quia si malignæ & pestilentes sint, ex sanguine, & aggregato ex succis alimentalibus dictis corrupto, & prava & venenata qualitate infecto generantur, quum ubi primum corruptelam conceperit, postmodum putredinem concipit. Iam vero aliud est putrefactio, aliud corruptio, ex putredine utique uerum est in bilem & melancholiam ratione seruoris, si nam statim in principio, saltem paulo post migrare: sed ex corruptione quamuis propriam naturam amittat, & humanae

humanæ naturæ aduersariam induat, non tamen in bilem uel
flauam uel atram uertitur: & proinde dum post corruptelam
à putredine inuaditur neque tertianos, neque quartanos pro-
fert circuitus, putredinem uero à corruptione tanquam spe-
ciem a genere differre clarissimum est. Quod si Angel. quar-
tū meteor. Arist. non uiderit, aut nō recte perceperit, conside-
ret an sanguis, dum exrra uasa & propria conceptacula in
alium locum se recipit, an statim corrumpatur, & nunquid
citra putredinem & exustionem, prauissima inferat sympto-
matā, & uitalem potissimum vim maxime labefactet nec ne.
Sed nondum (dicet quis pro Angel.) ad argumentum re-
spondisti; maiorem enim propositionem non reprobasti, imo
neque minorem. deliras? an potius ita stupidus es quicun-
que sis, ut queras annulum, quem habes in digito? non ne
uides ob Angel. Theorematā praeceps admodum ordinata,
me coactum fuisse falsam, quam attulit distinctionē euerte-
re, & eodem tempore ad minorem respondere? nullum di-
ces, video responsum, Angel. autē minorem rationibus adeo
corroboravit, ut labefactari uix possit. Sed quæ nam sunt
(obsecro) hæ rationes? Minor erat propositio. Malignæ fe-
bres ex putrescente sanguine non fiunt. Rationes hoc pro-
bantes sunt, quia uidelicet ex sanguine, uel synochæ, dum sci-
licet sanguis ad putredinem it, uel biliosæ, aut melancholicæ,
dum iā putruit gignitur. Præterea, si demus malignā febrē ex
sanguine fieri, ait Ang. illam febrem, quæ reuera mitior, sua-
uior, & minus periculosa est, malignam, & alijs putridis febri-
bus deteriorem facimus. Ego tamen affimo, quod propter
assignatam rationem, consequentia falsa est, quia sanguis ut
dictum est non putreficit sub forma propria, sed iam corru-
ptus, & prava qualitate infectus. quinimo non sanguis solum,
sed bilis etiam tum flaua tum atra, si propriam & ordinariam
naturam seruauerint, atque putrefiant, non aliā quam usua-
lem, & ordinariam biliosam, a tribilare mē febrem proferte-
possunt.

DE FEBRE MALIGNA

possunt. & quamuis exusta bilis flaua, uel atra cōtinuas quartanas easque mali moris (licet raro) producere ualeant; nō tamen unquam pestilentem gignent, nisi prauam & uenena tam qualitatem, & corruptelam antea conceperint . Tunc enim solummodo insuetam, & extraordinariam putredinem exhibent. Sed concedamus aggregatum ex succis alimentilibus esse biliolum à prædominio, uel a tribilare , si prauam naturam induerint, febremque pestilentem produixerint, nō tamen tertianos, aut quartanos periodos exhibebunt. Cur dicit ille ? quia, inquam ego, dum humor prauus putreficit in uenis propter exquisitam cum ceteris probis succis mistionem, & propter prauas fuligines ad cor elauatas , uirtus expellens (quæ ad proprium munus obeundum uegeti & robusto calore indiget) adeo labefactatur, ut nulla, quæ alicuius momenti sit , fieri possit putrescentis, & vitiosi humoris expulsio : & proinde febris remanet continens . Omnes enim illustriores Medici in hoc concordant, ut febres typos nanciscantur, quia humores putrescentes a foco putre dinis ad alias partes excutiuntur, uel extra uenas nobiliores, uel à corde remotiores . Quod autem ait reliquos tres humores quim comptruere genus minime mutare, falsissimum est, nam flaua biliis , & pituita, dum à calore putredinali assantur, abeunt in atram bilem , & hac potissimum de causa , quartanæ febres biliosis , & pituitosis febribus subsequuntur, ex bile scilicet & pituita exustis generatae . Laborat postmodum vehementer Angelicius , ut quādam ex Galeni dictis obiter sibi oblatam ambiguitatem soluat: Franciscique Valesii vera solutio ne repudiata , propriam affert responcionem. Cum enim Galenus synochum modo mitem, modo ardente febre acutiorē (ut ipse arbitratur) vocare videatur, solutio (inquit ille) consistit in hoc, vt tertiana continua, seu ardēs febris sit acutior, in tensione, synochus cum putredine acutior diuturnitate & rosa pertinacia. Dij boni sunt ne dubia & incerta (si tamen talia sunt)

sia sunt) & obiter, ac ueluti transitu quodam a Galeno prolatâ uerba pro clarissimis, & ex professo in propriissimo loco exaratis suscipienda? Quis non uidit Galenum in proprio de febribus libro in peculiari de sanguineis febribus tractatu aperete dixisse ex sanguinis transmutatione simpliciores tum in alijs, tum caliditatis qualitate mitiori febres fieri, quia licet plurima caliditas manui tangentis se offerat, est tamen omnino mitis, ut ea quæ in balneo contrahitur arbitrandum ne est Galenum adeo insulsa æquiuocatione uti? Acutum esse calorem ab ijs, quæ facile cutim & carnem intimius penetrant sumpta metaphoræ, una cum priscis illis medicis dicemus. Sed calorem acutum id est diuturnum uel morose pertinacem, quis unquam enunciabit? Galeni commentum in Hippocratis lib. de vulg. morb. ab Angelucio citatum, facile est interpretari, quia dum ait synochum ab ardentibus accumine differre, nil aliud voluit, nisi ut etiam Valesius sentit, synochas esse minus acutas, & minus mordaces. dum autē subdit Hippocrates est enim biliosa & deurens, & peracuta, hoc non ad synochum, sed ad exurentem referendum est, ut peracuti nomen nobis insinuat. Quod si quis etiam uellet ad synochum hæc uerba referri, ita essent intelligenda, ut causam reddant, cur synochus de genere ardentium sit dicenda, nō autem cur acutie ab ardentibus differat. sed quis hominem non mirabitur, uidens ipsum post primæ opinionis reprobationem, secundam in medium proponere tanquam a prima diuersam? quid enim distat dicere malignam febrem synocham esse, & continentem esse, & nullam usque ad crism mutationem habere? Angelucius non alio medio hanc Triuerij opinionem reprobavit, nisi eo quia maligna febris ex putrescente sanguine fieri non potest: & nūc rursus quasi nouum quodam id sit, & a prima opinione diuersum, ait non minus falli eos qui malignam febrem synochum esse affirmant, & ex tota massa sanguinis putrescente fieri decernunt. sed mittamus

hoc

DE FEBRE MALIGNA

hoc (dicet aliquis) quia forsitan solutiones nouæ erunt, & à prioribus longe diuersæ: illas igitur audiamus. duplii (inquit) nomine errorem committunt, primum quod febrem eiusmodi synochum faciunt simplicem, cum tamen composta sit, quia sicut sanguis facit per se synochum, ita bilis tertianam, pituita quotidiana, melancholia quartanam, quare continua febris ex tota sanguinis massa æqualiter putrescente facta non solum synochus est, sed etiam tertiana, quotidiana, & quartana continua. Noli Angeluci ita properare, sed paulisper subsiste si uis ut te assequar. Tardus enim natura sum, & festinantes haud facile consequor. Te humanitatis, & quas pulchras vocant, litteras possidere, forsitan quis concedet, non tamen philosophica, aut medica facultas adeo facile, & præpropere percipi potest. Philosophia contemplativa, cuius pars & veluti germē est Medicina, ut tuus inquit Cicerō, in ipsis uersatur rebus: Humanitatis uocatæ litteræ congruum de his rebus loquendi modum nos doceat, unde longe distant hæ facultates, & longo uix tempore eas homines consequuntur. uis hoc videre? nondum in Galeni doctrina sanguinis significatum assequutus es: quo sit ut minus mirandum sit, si falsissimam proposueris consequentiam. Si enim accipiatur sanguis pro aggregato ex quatuor succis alimentibus, hic putrescens facit febrem simplicem sanguineam, quia hi succi simul mixti veteri naturaliꝝ seruata proportione in uno & eodem loco computrescunt. Nec minus ridicula est alia consequentia, dum ait secundo, quod isti febres malignas faciunt tertianas continuas non synceras. Si enim uera esset consequentia ergo uel nunquam sanguineæ febres, & synochi cum putredine crearentur, uel si fierent, essent biliosæ febres continuæ sed nothæ, quod est ualde absonum & à Galeni doctrina in 8.9. & subsequentibus libris de medendi methodo tradita alienissimum. At uero dum Rondeletij placitum assert, non desunt in suis dictis contradictiones, obscuræ, &

ta, & indistincta (ut sui moris est) pronunciata. Sed quis iure
forsitan ipsum excusabit, quoniam Rondeletij sententiam cō-
futare res admodum ardua & magni momenti erat. Appēdix
porrò, quam suo discursui de malignæ febris imparibus die-
bus exacerbatione, contexuit, nullam cum Rondeletij relata
& descripta sententia, affinitatem habet, quam tamen, ut om-
nibus se multa scire manifestaret, apposuisse credo. ego uero,
cum ad telam inceptam non attineat, eam libenter missam
faciam, si tamen Angelicum prius admonuero, quod dum
ait diebus paribus exacerbari non esse referendum ad humo-
rem pituitosum, vel melancholicum, sed ad longitudinem ex-
acerbationis & morbi m̄ lignitatem, & pertinaciam, his uer-
bis ineram profert nugacitatem. Nam accessionum, & exacer-
bationis longitudo, & morbi pertinacia nō ab alia causa præ-
terquam ab humoris vel crassitie, vel lentore, uel ambobus,
& materici frigiditate dependent. Demum Ludouici Mer-
cati placitum approbat, cuius summa ea est, ut maligna febris
per omnes febrium continuarum differentias vagari possit,
& nullam habeat propriam, & peculiarem speciem, ad quam
reduci, vel a qua denominari habeat, sed omnes illi sint com-
munes & familiares. ipsa vero sit semper eiusdem naturæ, ser-
uans in vnaquaque specie sibi propriam, & peculiarem con-
ditionem. Ex qua quidem opinione nil aliud concludimus,
nisi febrem pestilentem (hæc enim illa est, quæ sibi propriam
naturam seruat) ex cuiuslibet succi alimentalis maligna pu-
trefactione generari, huius tamen, vel illius, prout hic vel ille
in yenis residens nobilioribus magis copia, vel inala qualita-
te peccans, & naturæ molestus, aut obstructionibus obru-
tus, vel naturali calore destitutus maligna putredine corripi-
tur; quod utique non nego. non ob id tamen sequitur, ut
pro varij succi maligna putredine correpti, varij circuitus,
& ij quidem aperti atque distincti suboriantur, quia pro-
pter causam in hoc capite superius adductam, nulla fere fit

DE FEBRE MALIGNA

humorum putrescentium & putredinis foco aut alijs locis, ad alias partes transmissio , quæ momentanea , ac sensibilis dici possit. vt proinde maligna & pestilens febris conclusa , & ea quidem contineus, de necessitate remaneat . Hoc autem in loco le^tores his, quæ ab eo dicentur, attentos exopto, vt hoc mihi dubium soluant , an scilicet ipse vel nimis sibi arroger, quam plura ignoret, uel è contrâ . Mercati siquidem sententiam suscipit, approbat , & inter cæteras omnes extollit , sed ait ipsam supplendam esse , & hunc sibi laborem à Mercato fuisse relictum, vt inquirat, cum omnibus æque communis es se possit maligna febris, quæ tamen sit ei magis familiaris , & tâdem Hippocratis auctoritate quadam ductus colligit, propriam & frequentiorem malignitatis sedem esse in febre tertianæ naturam referente . Quam Galenus in Hippocratem scribens, ait fieri non ex uno succo, sed pluribus , & proinde continuam esse tertianam non tamen exquisitam, sed norhâ: quia exquisita propria appellatione ardens dicitur. sed audiât modo quantum sibi tribuat Angelucius. Vedit maximâ apud practicantes hac in re extare controuersiam. Vedit neminem adhuc fuisse repertum, ex his quos retulit, qui malignâ seu pestilentem febrem tertianam continuam imitari dixerit (nemo enim id determinare ausus fuit.) Vedit Mercatum dixisse ad diuersas febrium differentias a Medicorum doctiss: mis non sine magna ratione (notent le^tores, hæc verba) reductam fuisse : uidit Mercatum nullum ei Typum assignare voluisse , quia propria in ægrotantibus obseruatione alioquin diuturna id decernere non valuit : & ipse nihil feci, qui praxim vix lambere iam incœpit, id determinare aggreditur. Video statim le^tores apud se questionem dirimere, & nimis sibi asciuisse vendicasseve Angelucium pronunciatiuros : sed priusquam sententiâ ferant, audiant quantu ignorauerit. Paulus superius pagina scilicet 18. dixerat se de febre pestilentî non esse loquuturum , & nihilominus quilibet aperte videt,

nisi

nisi mente obsecratus sit, Ludouici Mercati sententiā, quam approbat, non nisi pestilentī febri adaptari posse. Verum audiamus, quid scribat, dum speculationem aut laborem à Mercato sibi derelictam aggreditur. Quid tandem astruit? omnia profecto ab eo pronūciata vni ab eo primum & principaliter iacto fundamento innituntur; quo quidem tā quam falsissimo sublato omnia proorsus corruere necesse est. est autem fundamentum Hippocratis auctoritas secundo in primum epid. 25. quam quidem ad pestilentes febres nullatenus attinere superius demonstrauit.

Num, & quatenus maligna febris, sit contagiosa. Cap. V.

 A P V T hoc reliquorum omnium profecto breuissimum est, sed tot absurditatum capita, tot falsitatum ramos, aut potius radices continens, vt si quis vellet singula tum dicta, tum dictiones refellere, maximā & temperis iacturam facere, & paginarum multitudinem impendere cogeretur. Multis itaque consulto pretermisis, ea, quæ minus absone uidentur esse, perpendamus. Duas in illo quæstiones extricare pollicetur. Videlicet an febris maligna contagiosa sit; & quo pacto per contagium alteri cōmunicetur. Videamus num extricauerit, an potius intricauerit. In priuino problemate dissoluendo utitur histeron proteron & quæsitum quia est, quæsitum si est præponere videatur, illud autem hac conclusione discutere conatur, inquit, si putredinis focus respirationis organis proximus sit, ita ut halitus, inde emissi, neque fracti neque resiccati ad os perueniant, quod indicat intolerabilis oris foetor, illi contagiosa sua virulentia adstantem hominem inficiunt, dummodo ora

DE FEBRE MALIGNA

in se sint inuicem conuersa, expiratiq[ue] ab ægri ore vapor[es],
ore itidem excipiantur ab eo, qui ægror[um] adstat, propter faci-
litatem, pronitatem; & latitudinem viarum ab ore ad cor.
hæc illius sunt verba. Sed dicit junior. dum aīs, si putredinis
focus respirationis organis proximus sit, & quæ sequuntur, il-
la particula (si) nobis distinguendum esse iudicat, & nihil
certi, ac determinati concludit. Tua igitur interest distingue-
re & determinare an in febre maligna putredinis focus sit
ganis respiratorijs proximus, uel remotus, sc̄eūs problema in-
discussum penitus remancit. Determinauit (dices) dum de
loco primario affecto, seu, ut tuis uerbis vtar, dum de materia
malignæ febris continentे sermonem habui. Quid declara-
rasti, in quam ego declarauit, in quies, materiam putredinem,
eiusque focus esse in venis sanguinis & prope cor.
Sed quæ & qualia sunt hæc vasa, in quam rursus? Ad pulmo-
nem ne attineng, uel ad cauam dictam venam, aut magnam
arteriam? O stulte, m̄hi, inquies, qua ratione vis hunc focus
in pulmonibus residere? Si enim id ponamus omnes maligna
febre laborantes maxima orthopnoea, ac quadam veluti suf-
focatione laborarent, ergo, inquam, focus ille erit in vasis in-
ter alas, & inguina constitutis. Vtique, dices, neque enim op-
iundum est in febre non adeo uehementer pestilenti, sed
maligna simpliciter dicta; de qua m̄hi sc̄mo est: & quæ non
ita acuta est, ut illa, ut in sequenti capite declarabo; putredi-
nis focus uel in corde, uel adeo prope cordis, & spiritualium
membrorum regionem reperi. Si ergo, inquam, hoc iam
declarasti, cur nunc sub dubio ponis, quando tuum erat quæ-
stionem dirimere? Quod subdis de oris fœtore levissimum
est, quia signum hoc pestilentis quidem febris, & malignæ pu-
tredinis, seu corruptæ & vitiose materiæ putrescentis timo-
rem afferit, non tamen uel propriam, uel inseparabile pesti-
læ & malignæ febris signum est. Solius enim hæc tæpesti-
lentis inseparabilis est nota, non tamen propria, quia non-
nunquam

nunquam a uentriculo, narium meatibus, ab ore, dentibus, fauicibus, & vicinis partibus, in alijs quoque febribus, quæ perstinentes malignæque non sunt, foetor emergit. Sed esto ab omni maligna febre foetorem inseparabilem esse, quis unqna dicet intolerabilem oris foetorem putredinem proximum iudicare, & non potius maximam humorum putredinem & corruptelam, ut omnes satentur, significare? Insuper, ait ille per contagiosam effumationem in ægrotante putredinem ipsam ab una parte alteri parti communicari, ergo formitis propinquitas frustratoria, & superflua erit, quia effumatio illa contagiosa, cū intra corpus putrido, extraneoque calore affectum ab una ad alteram partem prompte permeat, & communicetur, ab externi, & ambientis aeris frigiditate, & siccitate strangi, & resiccati non potest. Sed paulisper subsistere in illis verbis opere precium duxi, in quibus ait, quod præui halitus sua contagiosa virulentia adstantem hominem insciunt, dummodo ægri & assidentis ora in se sint inuicem cōuersa. Nämque si per solam emissionem ab ægrotantis ore contagiosi halitus adstanti possent impartiri, & perinde ac sagittæ per ballistam in scopum aliquem iaciuntur, ei communicari, procul omni dubio illa mutua oris conuersio maximam viam ad contagiam haberet, & cause quodammodo sine quantum, vicem gereret. Sed præter halitum emissionē illam, quæ ab ægrotante expiratione ipsa sit, multo magis cōcurrit, & necessario requiritur, attractio corundem halitum, quæ ab assidente inspiratione ipsa perficitur. Vnde opinor ego quod cum aer egrum ambiens halitibus, qui ab eius ore, cutisque meatibus prodierunt, fuerit inquinatus, satis superque sit, ut aliquis ægrotantis cubiculum ingrediatur, quoniā si corpus præparatum nactus fuerit, cum aerem illum infectū, velit nolit, inspirare cogatur, facile est, ut contagium in se recipiat: idque eo facilius, quo ægrotanti propinquior, & aer prærioribus, & vehementiorem uim habentibus halitibus

inqui-

DE FEBRE MALIGNA

inquinatus fuerit, quod si ut per pulchre admonet Angelucius ora in se mutuo fuerint conuersa, adhuc facilius febris pestilens adstanti communicabitur, dummodo alia superad datur conditio, ut scilicet ægrotans, & assidens hoc fœdere inuicem conueniant, & ea lege ambo respirent, ut quam primum ægrotans expirauit, assidens tam primum inspiret. Sed miror quomodo uir hic adeo diligens, & accurratus, in hac mutua conuersione, solius oris meminerit, & nasi oblitus fuerit, quem tamen non ita honeste, ut os ipsum claudere nobis licet. nisi diceat Angelucius, quod quis, callide admodum agendo, aspicilijs naso admotis ægrotantem inuisere posset. Sed satua admodum esset cautela, cum quanto magis nares comprimeret, & earum foramina meatusque angustaret, tanto magis os ipsum aperire cogeretur, nisi suffocari malet. Neque possum persuaderi ipsum os pro tota facie sumpsisse, & synecdoche figura usum fuisse, quemadmodum apud Virgilium habemus, dum ait, conticuere omnes intentique ora tenebant, & apud Ouidium, os homini sublime dedit, nam præter id quod apud Medicos non licet figuris vti, ut omnis ambiguitas euitetur, hæc insuper figura suo sermoni aptari non posset. aliud enim est sumere partem pro toto, aut è conuerso, aliud partem pro alia parte omnino diuersa: & semper Medici de respirationis vijs loquentes tum oris, tum narium mentionem habent. ipse autem septies os ipsum ponit nariibus post habitis, quod non alia de causa factum esse opinor, nisi quia os proprium sumptum intellexit, quemadmodum ex dictis, quæ de ore profert, facile coniijcimus, & præsertim dum scribit manifestum & intollerabilem oris foetorem, halitus non fractos, nec resiccatos ad os peruenire, nobis indicare, & dum facilitatem, pronitatem, & latitudinem viarum ab ore ad cor proposuit. Cur autem de contagij modo loquens, prauis halitus emissionem per insensibilem transpiratum factam abicerit, inquiens illam prope ægrum assidentes non contami-
nare,

stare, quia ingenti sua tenuitate facile dispergitur, in minimis
abit, obruitur, & omni usque ab externi aeris amplitudine priua-
tur, ego prorsus non intelligo.

*Quid differat maligna febris a pestilenti, &
num ea sit morbus epidemicus. Cap. VI.*

DV M primi quæsiti solutionem aggreditur, inquirens scilicet quid differat maligna febris à pestilenti. Hoc primum supponit, Galenum utramque febrem pestilentem appellare. Secundo accipit eundem Galenū hoc discriminis inter illas posuisse, quod altera idest uere pestilens homines appræhendat cum peste, altera vero idest maligna homines corripiat citra pestem. Vtrum autem Galenus malignam simpliciter dictam febrem sub pestilentis nomine comprahendat, & utrum uoluerit alteram vere pestilentem dicendam esse, alteram autem non uere, & vtrum Angelucius Galeni mentem asséquutus sit, partim ex dictis in primo capite apertum est, partim ex dicendis in praesenti adhuc clarius euadet. Ut itaque declareret Angelucius, quid differant hæc duæ febres, & quid sit febris pestilens cum peste, & quid febris pestilens citra pestem, proponit in primis tum Iousberti, tum Mercati sententiam, quæ quidem in hoc consistere videtur, ut prima ex aeris tantum contagionem fiat, secunda uero, quam Angelucius malignam uocandam censet, ex morboso apparatu, aut ex prauis alimentis proficiuntur. Quam utique sententiam Angelucius hac ratione & hisce verbis redarguere uidetur. Cum enim, inquit ille, ad constitutionem febris pestilentis duo concurrere necessarium sit: ut ea sit pluribus communis, & ut sit maxime lethalis, hominesque maxima ex parte enecans, quos appræhenderit,

DE FEBRE MALIGNA

henderit, ut ex Galeno colligitur 3.in 3.epid.20. Cur accide
re non possit ex communi aliqua causa verbi gratia ex pra-
uo vietu in annonæ caritate, vel etiam ex praua aeris consti-
tutione, vt maligna febris morbus sit communis, hoc est vel
endemius, vel epidemicus: neque sit vere & propriæ pestis,
quia licet grauis valde, & periculosa sit: ægrorum tamē maior
pars euadat sedula adhibita curatione? sunt morbi commu-
nes plurimi carētes malignitate, sunt morbi communes per-
niciosissimi qui pestem faciunt, cur non possint & morbi ali
qui communes inter hos medij, qui scilicet neque periculo
& malignitate careant, neque tamen ad summam illam, &
extremam pestis perniciem accedant? hæc ab Angelucio,
Mihi nunc sit dicendi locus, & ut brevior sim, omitto Ange-
licum sui Iousberti, & Mercati potissimum decreta non es-
se assequutum, quia ex utriusque, & presertim Ludouici Mer-
cati uerbis colligimus potius malignam febrem in pluribus
grassari, & per contactum medio aere in alios migrare, &
proinde magis communem morbū esse, quam sporadicum:
omitto ipsum endemiorum seu uernaculorum morborum si-
gnificatum non intellexisse: missum facio impossibile esse, ut
febris maligna sit grauis ualde & periculosa, & ægrorum ma-
ior pars euadat, etiam si sedula adhibetur curatio, quia ij so-
lum euadere possunt, qui uires ualde robustas, & morbo ro-
bustiores obtinent, qui quidem per pauci sunt: namque dum
morbi epidemici grassantur, eos succumbere, & ægrotare tre-
dendum potius est, qui uires imbecilliores habent, quoniam
qui uires robustas sortiuntur, omnia perferunt, omnia cōtem-
nunt: uires autem robustæ optimam corporis constitutionē,
& primarum qualitatum Symmetriam, & probam humorū,
& penes copiam, & penes qualitatem, constitutionem, comi-
tari solent: his inquam omnibus consulto prætermisssis, maxi-
mam in paucissimis eius uerbis controversiam noto, & con-
tra eum sic arguo. Quam febrem malignā tu uocas, Galenus,

vt tu

vt tu ipse in capitib; initio declarasti , pestilentem nominar, sed pestilens febris à Galeno uocata, vt statim supra affirmasti, & cum eodem Galeno concessisti, has duas habet conditio-nes , tanquam proprium characteris-*mum*, ut sit pluribus communis , & maxime lethalis , & multos perimat, seu ut alij recte aiunt, maiorem partem perimat eorum quos appre-henderit, ergo pestilens febris, quam Galenus citra pestem, tu autem malignam appellas, non potest esse talis, vt maior pars ea ægrotantium euadat: Si enim ita sit, nō amplius proprium characteris-*mum*, neque pestilentis, & perniciosa-*n*e no-men retinet. Ex quibus patet eius argumentum nullū prorsus esse, quia licet dentur morbi epidemici pestilentes , & epidemici non pestilentes , non tamen dantur medij , quia sequeretur hoc absurdissimum, quod idem secundum idem esset eodem tempore contrariorum suscep-tiu-um, & morbus esset pestilens, & non pestilens. verissimum est inter pestilen-tes dari latitudinem, & magis & minus , quemadmodum & epidemici non pestilentes possunt esse magis, & minus beni-gni, non tamen sequitur dari morbos inter hos, pestilentes scilicet & non pestilentes, medios: quia vel habent iam propositum characteris-*mum* , & sunt pestilentes, vel eo carent, & sunt simpliciter epidemici , non tamen maligni aut pesti-lentes. hæc fusius, quam par sit, dixisse volui , vt Angelucius hanc doctrinā melius assequatur. Si enim in logica facultate ipsum versatum existimassem, satis ei fuisset dicere contra-ria quidem media suscipere posse, non tamen contradic-to-ria, vt in post prædicamentis capite de oppositis , & in libro perihermenias de affirmatione & negatione loquens, Philo sophus docet. Colligamus modo, quod Angelucius Galeni mentē non fuit assequutus, dū credidit ipsum per pestilētem cum peste intellexisse morbum communem , seu epidemiā perniciosa-*n*em, per pestilentem sine peste, febrem pestilentem sporadicam , & malignam uocatam febrē . longe in qua ma-

DE FEBRE MALIGNA

scopo aberrat. Quod si cupiat emendari, & paucissimis verbis veritatem ipsam audire, sciat ille pestilentem febrem vel ex communi causa, eaque prauo corrupto ac venenato acre prodire, & hanc Galenus pestilentem cum peste febrē appellauit: vel ex praua dieta, seu prauis alimentis, seu etiā morboſo apparatu prouenire posse, tuncque vel hæc praua victus ratio quæ ad cibum & potum attinet, ex qua postmo dum morbosus apparatus exoritur, communis est, & pestilēs febris creatur, quæ epidemica re uera est, & a Galeno uocatur febris pestilens citra pestem: uel praua dieta ad eundem cibum & potum attinens, aut morbosus apparatus est particularis, & ex hoc illa febris pestilens exoritur, quam plures moderni malignam uocitant, & inter morbos non quidem pandimios, sed Sporadicos cōnumeratur. De pestilente cū peste & aere ipso contaminato tum 2. epid. 1. tum 3. in 3. epid. tum alibi loquuti sunt Hippocrates, & Galenus. de secunda nempe pestilente citra pestem meminit Galenus tū primo, de differ. febr. vt post apparebit, tum lib. de cib. boni & mali succi cap. primo, tum secundo, de nat. humana com. 3. tum in initio primi lib. epid. dum inquit Hippocratem explicans non omnes communes morbos in aërem tanquam communem causam referendos esse, sed in dietam quoq; ut cum totus exercitus infecta ac corrupta aqua v̄lus eodē morbo correptus fuit, & cum in caritate annonæ semiputre frumentum, aut similia praua alimenta plurima pro nutrimento ingerere coguntur. Pestilentem autem febrem sed Sporadicam, & malignā à neotericis appellatam, plus hac tempestate in nostris ægrotantibus cernimus, quam in nostris Codicibus legamus. Sed ad Angelicum reuertamur, qui paulo post rationem reddens cur Galenus malignam febrem pestilentem uocauit priuatim, ait hoc fecisse, primum, quia dantur febres malignæ ex morboſo tantum apparatu enatae, secundo, quia hoc differunt maligna febris, & pestilens:

lens, quod febri pestilenti causam præcipue dat vitiati aeris inspiratio, morbosus uero apparatus est solum conditio sine qua non, & occasio quædam: malignæ febri contra causam præcipue dat morbosus apparatus, inspiratio vero aeris vitiati occasionem solum præbet, & est tantum conditio si ne qua morbosus apparatus febrem forte non excitaret. In quibus paucis dictis primum pugnantia scribit, quia in primis lineis dixerat dari febres malignas ex morboso solum apparatu enatas, & postea exhibit distinctionem, in qua ait, tum pestilentem tum malignam febrem utrumque requirere scilicet tum aerem vitiatum, tum morbosum apparatus: secundo distinctionem, quā tradit, risu dignissima est, quia sequeretur, quod in eadem aeris constitutione & corruptela ambæ febres pestilens scilicet, & maligna, seu pestilens cū peste, & citra pestem vagarentur, & vna ab alia distingui non posset. Et ut opinor, hæc absurdam tam aperta fuerunt in causa, ut Angelucius pro quadam ipsorum medella in tradita distinctione addiderit illud verbum (fortasse) quod quidē ex eorum est genere, quæ causa sunt, ut scriptoris enunciatum nihil lectorē docere possit. Sed quid ad Galeni auctoritatē, quam ex primo de differ. febr. ca. 4. Angelucius desumpsit, respondebimus? Galenus semper de pestilenti febre loquitur eo loci, quæ vulgaris est, atq; pestilens. Dunn autem inquit fieri nonnunquam ob humores in corpore existentes ad putrefandum paratos, cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal, non uoluit hanc breuem occasionem sumere ab ambiente putrescibili euaporatione infecto, ut postea clare se ipsum exponit, neque aliquo pacto corrupto & uenenato, sed manifesta aliqua qualitate, quæ ad putredinem conduceat, donato: neque enim aeris corruptela, uel a putrescibili euaporatione infectio, breuis quædam occasio dici potest, cum maxima potius hæc dicenda sit. Insuper non inquit animal hanc bre-

DE FEBRE MALIGNA

uem occasionem sumere ad febris pestilentis generationē immediate, sed ad febrem communiter dictam, ut hac de causa breuis hæc occasio ab aeris præsertim caliditate desumatur: quemadmodum nobis declarant febres pestilentes ex uitiosis succis propter praua alimenta anno-næ caritate urgente a plebe & pauperibus ingesta, subortæ. hæc siquidem hiemis tempore, etiam si praui succi in corpore cumulati iam sint, non vulgantur, sed solum ubi æstiuum tempus aut ei propinquum incipit dominari, ut dum uernū tempus ad calidum & humidum magis uergit, quam pro sui natura conueniat. Ex quibus patet quinetiam cur Galenus non causam, sed occasionem uocauerit. Quicmadmodū enim aer putrescibili euaporatione infectus, aut corruptus in pestilenti febre gignenda, efficiens, corpus uero prauis humoribus resertum, materiæ, & patientis uim obtinet, ita dum nulla praua sed sola manifesta qualitate aer donatus est, ut puta caliditate, ab hac febris sui natura ephemera pro duci potest tanquam ab effetrice causa, a qua deinde febre praui succi in corpore cumulati occasionem naclii maligna & pestifera putredine corripiuntur: cuius quidem malignæ putredinis aeris caliditas non efficiens & immediata causa, sed breuis occasio dici debet. appellat autem breuem. Diuinus vir occasionem, non autem leuem, vel remissam, aut imbecillam, ut nobis significaret hanc aeris manifestam qualitatem non quidem souere diutius pestilentein febrem, & malignam putredinem, quemadmodum facit aer putrescibili euaporatione infectus, sed solummodo extranei caloris occasionem exhibere.

Designis malignæ febris. Cap. VII.

RIUSQVAM ad symptomatum malignam febrem indicantium catalogum se cōferat, ait Medicum debere esse perspicacissimum, ut uelut ex alta specula quæcunq; uel remotissime significant principes partes lēsionē esse percessuras, cito prōpteq; cognoscat. Sed querā ego ante omnia (IACOBE Præclarissimæ) quo nā pacto id fieri possit, cū ipse in primis huius capitilis lineis dixerit malignā febrē illā dici, quæ grauiora infert symptomata superuenientia, quā febris facies præferat. Si enim, ut post affirmat, ad febrē hāc significandā uis maxima est in symptomatis, & sympromata malignam febrem comitantia & proprie significantia sunt symptomata superuenientia, & ex Hippocrate superuenientia a mox apparentibus nō differunt, & mox apparentia in febris principio adesse nō possunt, quia solum pathognomica & assidentia, simul inuadunt, & insuper si febris maligna nam modo ex superuenientibus symptomatibus, verum etiam ex ijs grauioribus quā febris facies præferat dignosci tantummodo potest, & symptomata a principio sui ortus grauiora esse uix possunt, sed dum primum incipiunt, remissa sunt, & paulatim, uel saltem aliquo determinato temporis ductu & interuallo intenduntur, quomodo fieri potest ut Medicus, etiam si perspicacissimus, & oculatissimus sit, possit febrem hanc remotissime cito, & prompte cognoscere? Sed demus superuenientia symptomata, quæ ut ait, sola sunt malignitatis propria posse in principio apparere, & inter malignæ febris pathognomonica connumerari, dum inquit commune esse omnibus his symptomatis febris scilicet malignæ proprijs ab eo uocatis, færcius,

DE FEBRE MALIGNA

færocius fæuire, valde hallucinatur, quia ex symptomatum, quæ morbi propria sunt, magnitudine & ucheinentia, non mos, sed magnitudo seu recessus a naturali statu cognoscitur, ut sæpius Galenus affirmat, & ego in primo capite iam ostendi pleuritidis exemplo. Quod autem tradita ab eo symptomatum diuisio, neque Galenica, neque uera, sed insufficiens sit, omnes norunt, qui Galeni doctrinam in principio libro de different. ipsorum traditam legerunt, ac recte percepunt. Reddit deinde rationem, cur malignæ febres ex Hippocratis quoque sententia lenes sint, a principio, & inter reliquas huius rei ualde friuolas causas, quas adducit, ait hoc prouenire propter humoris putrescentis crassitatem, quia crassa sensim concipiunt putredinis ignem, quo concepto citius & magis exurunt, quam non crassa: item crassa non ita late concepti ignis radios emittunt ad cutem usque, ut ea quæ sunt minus crassa, ut in ferro candente, & accensa stipula videre est. Sed concedo tenuem humorem facilius accendi, & citius ad ignitæ stipulæ instar effulgere. crassum uero ut melancholicum ægre & ut ait Galenus, ad lapidis instar aut testæ, longiore tempore accensionem concipere, sed quid tum postea? quotiescumque crassus humor exacte fuerit accensus, quid prohibebit, quo minus calor præter naturam propter partium continuitatem innati potissimum caloris merito, per uninerum corpus diffundatur? non ne tum in bubonibus, quorum causa ephemera febris acceditur, tum in accessionibus quartanarum febrium a melancholico putrescente humore, quo nullus crassior est, prouenientium, hoc quotidie cernimus? in quartanis enim copiosissimus calor ad cutim usque in singulis accessionibus paucarū horarū spatio diffunditur. Aliam causam esse posse inquit, humoris cum primis maligni non multam copiā, quoniam si uti malignitate vigeret, ita etiam esset multis, momento fere temporis hominem opprimeret. Hæc tamen causa multis

sa multis nominibus damnanda est , & primo quia materia
alioquin paucissima si putredine febrei accendar , non
tollit quin calor præter naturam ad extimas usque partes co-
piosus perueniat,uti dictum est.Sed paucitas seu exigua co-
pia materiæ putrescentis, ut ex Galeno in 2.de differ. febr.
ultimo cap. colligimus,est solum in causa ut febris & acces-
siones citius finiantur . Secundo cum febris maligna conti-
nua sit,& per plures dies perdurans,& putredo contiguos &
prauos humores in continuis febribus assiduo depascat ,
priusque nō desinat donec uniuersus humor putredine exu-
stus & consumptus fuerit , impossibile est , ut in febre mali-
gnâ humor prauus putrescēs adeo paucus sit,ut ratione exi-
guæ copiæ calor mitis , & lenis in primis diebus appareat .
Tertio Ang. in 2. capite huius 1.libri statuit causam mali-
gnæ febris esse bilem cum pit. mixtam , modo qui fieri po-
test,nt ab hac materia adeo pauca febris tam praua tam ur-
gens tamque lethalis promoueatur ? Verum quoniam uno
dato inconuenienti facillimum est, ut inde plura sequantur,
idcirco mirum nō est , si querat deinde, cur natura humo-
rem hunc adeo exiguum prius non concoxerit , & conco-
ctum expulerit , quam ad tantum putredinis culmen per-
ueniret: & ut postea quæsitum soluat nugas innumeratas pro-
ponat.Quomodo enim huius rei causam in summam & per
tinacissimam humoris cruditatem , & crassitatem difficile so-
lubilem quis poterit referre ? nam pauca humoris copia na-
tiuo calori minimum resistit , & ab eo facile vincitur, potissi-
mum si humor hic sit ex bile & pituita mixtus , que mutua
mixtione penes crassitatem & tenuitatem frigiditatem , & hu-
miditatem inuicem refranguntur , & multo magis vincun-
tur si in uenis,in quibus plurimus nativus calor viget , repe-
riuntur . Sed dato quod a concoctrice facultate , quæ à
proprio munere nunquam cessat, paucus humor concoqui
non possit,cur saltem tanquam paucus & parum resistens,&
sua

DE FEBRE MALIGNA

sua prava qualitate ualde stimulans ab expellente uirtute ;
ut in scabiosis , & alijs prauis cutaneis affectibus assidue cer-
nimus , foras non truditur ? Insuper quamuis propriæ di-
Etam concoctionem , & transmutationem in propriam
& familiarem partium substantiam , & alimentum re-
spuat , non tamen metaphoricam & aadequationem , quæ
expulsioni accommodata est , subterfugit . Posteaquam
uero , ea quæ superuenientium symptomatum tanquam
ex ipsis sententia malignæ febris priorum , commu-
nia sunt considerauit , ad hæc superuenientia sigillatim
proponenda examinandaque sermonem transfert . & ab a-
ctione laſa & pulsu primum auspicatus , Pulsus , inquit , in ma-
ligna febre , vel est languidior , & pressior multo , quam leui-
tas ægritudinis ferat , uel est persimilis sanorum pulsibus .
Modo pace ipsis dictum sit , multa in paucis his uerbis sunt
errata . nam primo querendum est ab eo quid per leuitatem
ægritudinis intelligat , quid per pressiorē pulsum , nam huius
languiditas ab omnibus facile percipi potest . per ægritudi-
nis leuitatem , si uelimus ad hanc pulsum hunc referendum
esse , & aliquid nos docere & malignam febrem nobis dete-
gere , non possumus , ut opinor , aliud intelligere præterquam
calorem mitem in externis partibus existentem , & hæc in-
terpretatio non solum Auicennæ dictis , qui ait quod fe-
bres hæc mites sunt exterius & conturbant ineriorius , uerum
etiam his , quæ ab Angelucio ex Hippocratis mente in
principio huius capituli fuere enarrata consona erit , dice-
bat enim Hippocratem has febres tenes a principio uocaf-
se , & dum huius rei causam affert in hoc potissimum laborat ;
ut ostendat cur calor harum febrium usque ad cutim non
diffundatur , hanc autem leuitatem ad alia symptomata su-
peruenientia non esse referandam , patet ex ipsis uerbis , in
quibus superiorius dixit , quod ferocius fœuiunt , quam morbus
promittere posse uideatur . Per pulsum præssum quid audire
debe-

debemus? non aliud, opinor, nisi uel paruum, uel potius de-
pressum, hoc est humilem, si enim dicamus angustum uel
strictum, interpretatio huic uocabulo (pressus) quod qui-
dem a Galeno in lib. de differ. pulsuum non ponitur, haud
satis fruebit. compressum quidem pulsuum fortiter apud
Galenum quis adinueniet, sed hunc & paruitatem pulsus,
& arteriae contractionem ad iinas partes significare, & ac-
cessionū principijs familiarem, & proprium esse omnes no-
runt. His stantibus colligamus quantum aberret, nam pri-
num etiam si concedamus languorem pulsus non ad facul-
tatis robur, & vitalem contentionē (uti decet) esse referen-
dum; sed ad caloris reporem & lenitatem, si dixisset pulsus
esse imbecilliorē, quam aegritudinis, aut febris principio
(in quo virtus roboris parum amississe solet) conueniens;
sit, forsitan aliquid docuisset; sed inquiens esse languido-
rem quam ferat leuitas febris, supponit lenem calorē, & mi-
tem febrem sui naturali languidum pulsū promere, uel fal-
tem sibi familiarem habere, quod tam falsum est, quā quod
falsissimum. nam lenis calor cum non ita uitale in uim labo-
factet, permittit potius in suo naturali robore permanere, &
insuper cum usum adaugeat, uitalis uirtutis contentionē
subinde auget, hinc Galenus iubet ut in pulsus robore di-
gnoscendo in febribus, exercitijs, batneis, & id genus alijs
calorem & usum augentibus, & uirtutem ad maiorem con-
tentioñem impellentibus exerceamur. Non minus decipi-
tur dum ait pulsū esse minorem aut humiliorem quam fe-
bris leuitas ferat, cum calor alioquin initis, & lenis, ex se pa-
uum pulsū non efficiat, sed pulsū saltem quadantenuis
penes distensionem augere aptus sit. quare rectius dixisset,
si pulsū longe frequenter esse enunciasset, quam pa-
rum virginis febrilis calor id exigat. Errat quinetiam dum
positis his pulsus differentijs, vtitur disiectua quasi diuer-
sum à priore membrum & pulsū proponens, inquit hunc

DE FEBRE MALIGNA

vel esse similem sanorum pulsibus, quasi illa particula (vel) post languidiorem & præssiorem pulsum posita, auferat omnino a pulsu tum languorem, tum, ut sic loquar, præssionem, quod tamen a ratione alienum est. si enim ad hec tīcam pestilentem hoc referatur, vt ipse referri posse cōcedit, impossibile est, vt cordis corpore putredine & venenata materia obsecssa, aliqua penes vitalem contentionē immutatio non fiat, sicuti etiam impossibile est vt pulsus penes inæqualitatem, à sanorum pulsibus dissimilis non euadat, & proinde scribit Galenus in tertio, illo de præsag. Ex puls. cap. 3. pulsum non omnino similem esse sanorum pulsibus, sed perparuum deflectere de natura, & rursus ait quod pulsus parum præter naturam immutatur. Verum ò Medici (vos enim in præsentia doctiores, & in Galeni dictis probe exercitatos alloquor) Galenus non vult vt hanc paruam immutationem & penes languorem & inæqualitatem spectemus, adeo vt hec tīca pestilentī laborantes æque sere validos, & æquales habeant pulsus, ac sani habent, quia in paucis lineis valde inconstans sibi ipsi videretur, (nam præter id quod in superiori capite dixerat, quod si quando succubuerit, & in eundem delapsū sit, in quo est substantia, quam ventriculi continent, calorem, iam tunc incaluit, cuius sequitur intemperiem imbecillitas facaltatis, & subinde languidus pulsus. in fine quoque huius capitī aperte inquit, quod qui intemperie comites sunt corporis iphus cordis, imbecilli sunt omnes) sed exiguum hanc immutationem penes eas pulsus differentias attendendas esse uoluit, quæ ad quantitatē diūstentionis, ad tempus seu qualitatē motus, & ad tempus quietis attinent, & aucto calori, vel aucta frigiditati peculiares sunt. Dixerat enim in secundo capite, quod pulsus aucto calori peculiares sunt magnus, velox, frequēs, sicuti in principio quarti capitī ait intemperaturas frigidas efficere plane contrarios, pulsus scilicet paruos, tardos, raros. quod si con-

contingat, vt in tertio capite supponit, vt vel frigidius cor-
dis corpus & quo sit, & in ventriculis conteta substantia cali-
dior, aut è diverso hæc substantia frigidior cor autem cali-
dior, pulsus hūnt moderatis similes, quia medius veluti sta-
tus effecitur ex duobus contrarijs conflatus, qui sanè affe-
ctus, vel optimos medicos fallunt. Sed hæc moderatio est
ne penes omnes pulsus differentias spectanda? non, sed
penes illas, quæ ad propositum sibi sermonem attinent,
& caliditatis & frigiditatis peculiares sunt, & subinde pe-
nes magnitudinem, paruitatem, uelocitatem, tarditatem,
crebritatem, & raritatem, moderatio hæc audienda est.
quia penes differentias propositas parum de natura defle-
ctunt. Sed si cordis corpus putridus calor occupet, penes ro-
bur & languorem non parum sed multum de natura ad im-
becillitatem deflectunt. Ex qua tamen imbecillitate nec
nec nō etiam inæqualitate, quæ in pulsu imbecillo ægre ad
modum dignoscitur, Medici quamuis optimi non ita pos-
sunt hæticam pestilentem cognoscere. Verum absoluta ne
sunt errata, ab Angelucio in his paucis uerbis commissa?
non certe, sed quemadmodum grauissimorum Medicorum
dicta, quanto magis quis exactius perpendat, tanto ubero-
rem fructum & copiosorem doctrinam exhaustur, ita quan-
to quis ea, quæ indocte scripta sunt, diligentius examinet,
tanto numerosiora detegit errata. Nam peccat quinetiam
Angelucius quia diuisio ab eo tradita manca & defectuosa
ualde est. ait enim quod pulsus in maligna febre, uel est lan-
guidior & pressior, quam leuitas ferat ægritudinis, uel persi-
milis sanorum pulsibus. Modo dicam ego, dum febris mali-
gna & pestilens in primo principio existit, & uenenati ua-
poris aut uenenaræ, seu malignæ materiæ actio nondum in
eis impressa est, procul dubio pulsus naturale robur adhuc
seruare potest, uel saltem nullum habere languorem, nec
minus magnitudinem obtinere ualeat, nihilominus penes

DE FEBRE MALIGNA

uelocitatem, & inæ qualitatem, & longe magis penes crebri-
tatem, a sanorum pulsibus erit dissimillimus. Demum ait
pulsus persimilem esse sanorum pulsibus. Sed falsum hoc
est, nō enim ait Galenus in hec tica pestilenti esse sanoru[m] pul-
sui persimilem, sed parum deflectere de natura, & parum in-
mutari, quia propter facultatis imbecillitatem a magnitudi-
ne ad aliquam paruitatem deflecit, & quia facultas quan-
tum de magnitudine detrahitur, tantum ut hanc resarciat,
de uelocitate & frequentia superaddit, propriea pulsus e-
tiam a moderato motu, & moderato quietis tempore ad
aliquam velocitatem, & magis ad aliquam crebritatem, que
facilior est, deflecit. Verum hoc in loco hec tica pestilenti
post habita, Angelucius aliam causam pulsus sanorum pul-
sui similis assignare contendit, & ut facilius hanc ei creda-
mus (ego tamen nisi rationem audiam non credam) iureiu-
rando affirmat aliquot ægros malignæ febientes omni he-
cticæ suspicione carentes terigisse, quorum pulsus nihil dif-
ficerat a naturali pulsu. Dij boni quid audio, admittamus
iuramentum. Sed rationem audiamus. Hanc ex Galeni di-
ctis desumit scribentis in tertio de prælag. expuls. capit. 3.
contingere interdum in calida cordis intemperie, ut pulsus
sit naturalis & moderatus, cum scilicet arteriæ laborant in-
temperie frigidore. cum enim arteria, que frigida est, a cor-
de calsiat, nec paruum pulsus, qui frigidæ est, edat, nec ma-
gnus qui calidæ, sed inter utrumque medium, qui modera-
tus est & naturalis, & celeritate etiam moderata pulsus erit
horum affectuum, itemque vehementia moderata. Sed o
bone vir quid dices de crebrite & raritate? harū ne memi-
nit Galenus? nō ergo ratio & causa quam attulisti falsissima
est, quoniam cum arteriarum pulsus saltē penes crebri-
tatem & raritatem semper cordis pulsus imitetur, impossibi-
le est ut flammæ calore in corde existente pulsus arteria-
rum a sanorum pulsu saltē crebrite ipsa ualde non diffe-
rat,

rat. quod quidem cognoscens, Diuinus Galenus nō solum
crebritatis & raritatis & moderati temporis quietis nun-
quam meminit, sed ut clarius sciremus ipsum has differen-
tias ab alijs excipere, statim post sic habet. Quod dico cla-
re intelliges si altera manū eodem tempore cor, altera ali-
quam arteriam tangas. Principia enim motuum (arrige nūc
aurēs) assimiliuerēs vñā fieri, sed dissidebunt magnitudi-
ne, celeritate, & ucheinentia. Sed dicēt ille, non ne subdit
Galenus quod nonnunquam accidit, ut arterię eodem tem-
pore non accipiūnt ex corde insuentem facultatem, sed
cordi propiores primæ, posteriores quæ remotiores sunt:
quod potissimum accidit, ubi incident in idem temporis ar-
terię frigidiores, & cor imbecillius? Maxime, sed quid ad
me? non enim propter ea cor pulsū edet crebrum, arterię
autem uel rarum, uel moderatum, uel non crebrum edent,
sed licet tardius motus principium suscipiant arterię, ean-
dem nihilominus quam cor crebritatem exhibent, quia
semper est eadē seruata proportionē & eodem statuto
quietis tempore, arteriarum motum p̄eoccupat. Frustra
autem assignat deinde aliam huius eventus causam in-
quiens se hanec a Thoma Iordano desumpsisse, nam p̄a-
ster id quod eadē est cum illa, quam superius ex p̄ae-
ceptoris sui Massarię & Galeni de hecica pestilenti febre
loquentium sententia descripsisset, decens non erat, vt
hoc Iordanis intuitum crederet, & in eius dictis ad hoc
confirmandum exarandis, adeo laboraret, cum Galenus li-
bro ab eo superius citato de febribus, quæ propriam naturā
non ferant, verba faciens, & rectius, & clarius, & diffusius
id scribat. Malignarum febrium pulsu declarato, quoī ūdami
symptomatum, quæ ab illo superius huius mali propria vo-
cantur, etiam si omnia ferè reliquis acutis, & putridis febri-
bus superuenire possint, farraginem seu aceruum quendam
describit, quorum taliē omnium rationē non assignat. Sed
duorum

DE FEBRE MALICNA

duorum solummodo tradita causa, in reliquis lectorem ad Hipp. & Galenum mittit, inquiens hos Medicinæ procères in lib. progn. & in lib. de morb. vulg. de ijs fuisse per tra-
ctasse. Sed melius fecisset si neque duorum illorum sympto-
matū causam attigisset. Ait enim mestitiā ingētem oriri du-
plici de causa nēpe & propter cordis exiccationem; & pro-
pter quandam animi de futuro interitu præsagitionem. pri-
mum porrò locum habere non posse, inde patet, quia seque
retur, quod quælibet febris maligna esset cum tābe, & su-
binde non nisi longo tempore & egerrime, aut etiam nun-
quam ægrotantes possent ad sanitatem restitui. nam cordis
siccitas non potest uniuersis corporis protibus non impar-
tiri, & quantum difficile sit marcorem affecto principio fe-
mouere, in proprio lib. declarat Galenus: experientia, nihi-
lominis qætidiana nos docet, quamplurimos maligna fe-
bre, cum ingenti admodum mœstitia laborantes, s̄p̄ius
quatuordecim diebus, aliquando citius ad bonam valetu-
dinem restitui. Insuper, ut notat Galen. secundo in primum
epid. 75. timoris cognati sunt mœstitiæ, & hæc ab illo ortu
ducunt, ob id enim mœrētur homines, quia timent. modo
dum tradit Galenus cordis siccitatis signa in lib. artis me-
dic. cap. 31. neque mœstitiæ, neque timoris mentionem
habet, sed solum de his meminit in signis frigidis intempe-
riæ. Secundam uero friuolam esse, & inutilem, ex dictis cla-
rium est. si enim non alia de causa m̄erent, nisi quia timent, ti-
mēt autem propter naturalē quādam animi de futuro interi-
tu præsagitionem, statim querendum est, cur in hac sola
febre, non in alijs quæ malignæ non sunt, hæc naturalis ani-
mi præsagitio suboriatur. hoc inquam declarandum erat. ne
que est ut dicat, ideo in hac febre oriri, quia mobus maxi-
mus & perniciosissimus id exigit, quia alia multa mala lōge
perniciosiora sunt, & potissimum hec tāca pestilens, & nihi-
lominus s̄p̄e neque m̄erent neque timent, quia si hæc citra
humo-

humorum putredinem , & sola sit, non sciunt se febricitare. Quare potius opinandum est ingentem mœstitudinem ex spirituum vitalium labefactatione & a malignis & atris uaporibus infectione, ut etiam in merore contingit melancholico, protuere. atri autem multiplicantur uapores , ubi plurima deustio & incendium vrgeat. vrget autem in hac febre, quia in ea sepissime interiora uruntur. Ait postmodum, alterius symptomatis causam reddens , quod non sitire in magno ardore, vel sitire admòdum, cum febris facta est remissior , illud emortuam facultatem , hoc in visceribus collectum calorē significat , primum tamen dictum non est perpetuo verum, quia non sitire in magno ardore , præsertim si accedat linguae nigrities & scabrities, ut toties nos docuit Galenus, nō solum propter emorientem facultatem , verum etiam propter mentis alienationem prouenire potest , & proinde debebat Angelicus hoc distinguere. hac enim de causa phrenetici ab Hippocrate paucibibi vocantur. Quod autem inquit sitire admodum, cum febris facta est remissior, in visceribus collectum esse calorem significare , est contradicatio manifesta; namque calorem in visceribus collectum esse , & febrem esse remissam , inuicem pugnant . quemadmodum enim accessiones ex caloris in visceribus collectione oriuntur , ita remissiones ea de causa fiunt, quia calor ad partes externas & a visceribus remotas ; & cutim ipsam & pedes potissimum, ut ait Hippocrates, expanditur . sed video illum se ipsum explicare , & dicere per febrem factam esse remissam non veram remissionem intellectuisse , sed remissam extrinsecus caliditatem innuere voluisse : ergo , inquam ego , febris ex hac in visceribus caloris collectione potius ardens , & vere lipyria & subinde non remissa sed intensa potius, & malignissima facta erit . His absolutis vñnum adhuc esse dicit, cuius causa ab eo reddenda est, videlicet cur in hac febre vrinæ nonunquam sanorum vrinis similes

DE FEBRE MALIGNA

les conspiciantur. ipse autem in hoc artificiosus propriam sententiam non apponit, priusquam aliorum opinionem refellat, ad hoc ut causam, quam ipse excogitauit, & uerior, & admiranda magis uideatur. Verum quoniam puerile admodum esset Angelucij obiectiones & argumenta aduersus aliorum veriores opiniones diluere, cū illa nullius processus momenti sint, & quia vereor ne liber in nimia exrescat molem; ideo ad propriam ipsius audiendam sententiam mihi properare sit licitum. Quam prius quam prouulget, quasdam conclusiones seu hypotheses, quas ipse postulata perperam vocat, in medium assert. Haec prima illa est. Vrinxæ substâria cōstat ex parte potulenta alimentorum, quæ ob sui ineptitudinem ventriculi, atque hepatis concoctionem effugit; atque ex sanguinis sero. quid autem serum sanguinis a parte potulenta differat, cum eiusdem & naturæ sint, & ab unica origine & causa proficiscantur, neque is declarat, neque ego assēqui valeo: quamuis satius suisset, si non partem potulentam alimentorum, sed alimenti partem illud, quod dixi, particeps est utrumque alterationis illius, quæ fit in vasis dictis. Sed in hac cogor paulisper subsistere, quia primæ conclusiōi aduersari mihi videtur. Paulo enim superius dixit partem potulentam effugere concoctionem ventriculi, tuin hepatis, nunc autem concedit eandem potulentam partem alterationem suscipere in vasis dictis, venis scilicet & arterijs, sed quæ nām queso est hæc vasorum alteratio, à qua parte proficisciuit & dicas ille, aut si non illo, dicat Galenus, hoc & quidem scio, Galenum & omnes existimasse venas ab hepate omnem facultatem concoquendi & sanguificandi mutuari. Me insuper non latet hanc seri alteratio-

terationem, quæ in uasis celebratur, neque re & subiecto,
neque ratione ab ipsa concoctione differre: non enim ob-
aliud uirinæ magis, vel minus coctæ, uel crudæ nuncupantur,
nisi quia uel congruam alterationem, uel modicam, uel nullam
in uasis subiere. Hypotesis uero, quam pro secunda con-
clusione confirmanda proponit, milii penitus uidetur imposs-
sibilis. quia enim fieri potest, ut humores sint concitatissime
alterati (si tamen illud uerbum, concitatissime, aliquid boni
uel aperti & distincti significare potest) serum autem, quod
humores illos contagit, & illis adhaeret, & permixtum ex
actius est, immune omnino ab illa alteratione seruetur? siue
enim penes primas, siue etiam secundas qualitates alteratio-
haec spretetur, & potissimum penes colores, positio haec ab
omni ratione abhorret. Sed miror, quo pacto in tertia con-
clusione affirmet fieri posse in etherogeneis, ut partes aliquæ
quidpiam perpetiantur, alijs illæsis penitus manentibus, &
ipsam probare nitatur exemplo corum, quæ apud medicos
homogeneitya potius sunt, & unius rationis. Nam tum chyli,
tum sanguinis, tum vini, tum etiam lactis pars quælibet ean-
dem prouersus habet definitiōrem, quam vniuersum lac ha-
bet, & sic de reliquis. Ex quo patet, quod si corpus, etiā si ei
concedamus ethericum posse vocari, sit unius substantie
& rationis, positio est impossibilis. Exemplum autem la-
tis nullum est, non enim igne & coagulo pars lactis butyro-
sa & caseosa multum immutatur, & concreta, pars autem
serosa manet omnino inalterata. nam in principio coaguli
& caloris vi etiam serosa pars aliquid patitur & alteratur. Et
hac de causa una cum alijs lactis partibus per aliquod tem-
pus concreta manet; quamuis deinde tanquam fluxibilior
virtute frigoris exprimitis ab alijs separetur. multo minus
ei fauet exemplum uini, dum subdit in uino temporis vetu-
statem absumere penitus serosum uini liquorem, vinoso suc-
co integro semper manente. Aliud enim est aliquid absumi,

DE FEBRE MALIGNA

& ab alijs partibus tractu temporis separari aliud unà cum reliquis partibus inalteratum permanere, aut alterationem reliquis inalteratis subire. Exemplum quinetiam maris experientiae & rationi repugnat, quoniam abiecta salsedinis causa reliqua aqua dulcedinem induit, & salsedinem amittit, & ita vniuersa maximam patitur alterationem: quod tamen nemo unquam (opinor) uidit, quia etiam si concedamus causam hanc falsissimam & meram nugacitatem non esse, non videtur possibile, ut exhalatio unà cum aqua exacte mixta corrumperatur, aut a calore aliquo eleuetur, aut secernatur, & abigatur, reliqua autem aqua inalterata permaneat: potissimum si id ratione cause calidæ evaporare facientis accidat. Quid autem sibi uelit, dum addit quotidie euenire ut unus ex quatuor humoribus (licet sint omnes permixti & cōfusi) vratur, aut corrūpatur, reliquis manentibus inalteratis, ego prorsus non intelligo. Siquidem exemplum ab iētero & tertiana exquisita desumptum, conclusioni ab eo traditæ non aridet. Dum enim intuicem mixti sunt humores, impossibile est, ut unus vratur & corrumperatur reliquis ei cōfusis & exacte in istis inalteratis. Nam Tertiana exquisita, & iēterus oriuntur propter maximam bilis copiam a reliquis præser-tim succis separatam; quamuis in iētero nulla fiat bilis alteratio, sed solum ad extimas & cutaneas partes transmissio. His iactis in aere, ut apparet, fundamentis, ad questionem respōdet inquiens, vsu euenire nonnunquam in malignis febribus, cum scilicet humor totius mali causa crassus admodum & viscidus est, ut turbæ maximæ in humoribus omnibus concitentur, sanguinis sero manente inalterato. Hæc est responsio, quæ præmissis suppositionibus mirum in modum proportione responderet, nisi qu' andam in se clauderet ambiguitatem, quam explicare non ita in promptu est. quid enim velit per maximas turbas in humoribus concitas cōiector Oedipus melius intelligeret. credo tamen turbam

bam hanc, siue turbulentiam, siue turgentiam, siue perturbationem, siue quid simile significet, non nisi motum aliquem, uel ad alterationem ipsam, uel ad lationem continentem, connotare posse. Quod si localē motū, id est maximā humorū agitationē interpretari quis uelit, hēc in nostri corporis humorib⁹, uel ab assumptione aut infictio ueneno, uel ab ipsorum turgētia, de qua Hippocrates cum primo aphor. 22. tum alibi loquutus est, uel ab eorum maxima ebullitione proficiuntur. Sed humorū turgētia in hoc casu locum non habet, quia hēc sit ab humorib⁹ a partibus ad partes in morbi principio transfluentibus, & concitate motis, ut in commento explicat Galenus. tales autem non possunt esse crassi admodum & uiscidi, quales in re sponsione, tanquam totius mali causa, ab Angelucio supponuntur. Omitto in his febrībus, in quibus urinæ sanorum urinis sunt similes, non apparere in ægrotantibus ea symptoma, quæ turgentem materiam comitari solent. multo minus humorū maximā agitatio in uenenum ipsum refrenda est. Sed dato, quod uenenum siue extrinsecus occurrens, siue intus genitum id præstare possit, hoc citra præuiam & hanc quidem maximā alterationem humores non exagitat, ergo necesse erit, ut hēc maxima turba id est exagitatio ab humorū prodeat ebullitione, uel seruore. ergo rēlicito locali motu ad alterationem ipsam necessarium erit confugere. hēc autem alteratio, cum maxima sit, & ad primas qualitates spectet de necessitate, nō a passiuis, quæ remissæ admodum & tardius agunt, neque a frigiditate, quæ sui natura humorū motū & turbam, & agitationem conciliat, sed ab ipsa caliditate de necessitate pendebit. Modo si quis concederet maximā adesse in humorib⁹ omnibus, & sanguine ipso ebullitionem ac seruorem, & nullam in sanguine fusōnem fieri posse crederet, hunc non Philosophum, non Medicum, non hominem, sed lapidem existimarem; quid, si maxi

DE FEBRIE MALIGNA

mam admitteret sanguinis, & humorum omnium seruorem
& ebullitionem sanguinis sero maiente inalterato? non am-
plius lapidem absolute uocarem, sed molarem. quod si data
in sanguine uehementi ebullitione, ac aliqua, quamvis par-
ua, saltem tenuioris portionis fusione, putaret postmodum
cōtingere serum ipsum neque penes colore, neque penes
consistentiam infici, & alterari posse; hunc non molarem,
sed tofaciem lapidem censerem. Si uero sero ipso de colo-
re & consistentia a naturali statu uehementer, aut quoquo-
modo recedente, urinam omnino inalteratam & naturali-
per similem, excerni posse existimaret; cum nō lapidem, sed
uel argillam, uel sigilinum lutum quis merito appellaret.
Verum per turbas maximas, quid quid sibi nēlīt, intelligat,
si verum, ut verissimum est, quod tradit Aristoteles, humi-
dum esse, quod alienas impressiones facile suscipit, & facile
alieno, difficile proprio terminatur termino, nō video quo-
modo turbæ maxime in humoribus omnibus concitari pos-
sint, nulla in humorib; & sanguinis sero ipsis contiguo alte-
ratione concitata; cum præsertim ichores, & sanguinis sero
sires nullatenus à natura regantur, utri sanguis & alijs succi
alimentales reguntur, sed solum ab ipsa natura pro viribus
foras pellauntur, tanquam inutilia, & a nutritione prosus alie-
na. Dum vero addit Angeluciūs, quod id sit, (maxima scili-
-cet turba in humoribus omnibus concitatio sanguinis sero
manente inalterato) tum quia ex Aristotèle in-habentibus
symbolum est facilior transitus, tum quia seri tenuitas, &
fluxilitas effugiunt maligni illius humoris crassitatem & ui-
sciditatem, nescio per Iouem an sententiam suam approbet,
an potius per ironiam reprobet, potissimum cum aliud exē-
plum, quid aperte sententiam suam reprobare videtur, pau-
lo post afferat his verbis. Pyrius (inquit) puluis, si stipula,
aut paleam habeat obuiam, in ignem ducit præcipitem; si
metalla, aut ligna densiora superponet, illa relinquit uix tan-
tillum

tillum calefacta. Sed quid ad harundinis exemplum dicemus & quid aliud, nisi ipsum (ut in proverbio dicitur) nobis cannam perforatam inanem & uacuam tribuisse. Harundines enim Euri statum immensas arbores eradicant, & propter tenuitatem, & propter humilitatem, & propter flexibilitatem facile aufugiunt. Arbores proceres, magnæ & latæ, innumerisque folijs stipatae & densæ & inflexibiles non item. Sed longe distant exempla in locali motu tradita, ab his, quæ penes alterationem comprobanda sunt. His, de causis ipsum aliam ad quæsitum responsonem attulisse putto. Ait enim quod causa etiam, cur urinæ malignæ febricitantium sunt interdum sanis persimiles, esse potest obstructio maxima & intidissima: quæ quidem responso & quo ac prima explodenda est. Nam etiam si demus tantam & talem reperiſt obſtructionem; hæc nihilominus urinarum colorē intensum, aut insignem flauitatem non tollit. nam licet putrefactus humor sero, propter ingentem obſtructionem, non ita possit communicari, ab igneo tamen calore adeo intenso omnibus corporis partibus communicato, nihil prohibet urinas ingentem saltum splendorē ac flauitatem suscipere: cum præsertim in synocho aliqui sine putredine, etiam rubicundæ appareant urinæ, quia ab intenso calore funditur fagus, & in serum abit rubore respersum. Ingente uero & invictissimam obſtructionem, urinas aquosas, tenuissimas, atque omnino perspicuas parere, quorum ratio[n]e à sanorum urinis quā maximè distat, tam clarū est quā quod clarissimū. Ad symptomata demum tertij generis se transfert, & quærit, quæ nam sit peticularum causa. & constanter se credere affirmat, quod peticulæ nil aliud sint nisi crassæ exhalationes putris, & ebullientis in venis humoris, quæ ob crassitudinem & pinguitudinem superare cutem non potuerunt, hanic autem opinionem minus veram esse apparebit, si statim interrogetur ille, cur in ardente febre notha, in qua crassus,

DE FEBRE MALIGNA

sus, & pinguis humor (talem enim pituitam cum bile mi-
stam appellat) in venis putrescit, effervescit & ebullit, pe-
ticulæ non apparent: & rursus, cur statutis quibusdam die-
bus cutim adoriantur, & interdum retrocedant, & rursus cō-
pareant, & earum apparitio toto morbi tempore non perse-
ueret, cum tamen eorundem humorum ebullitio eadem
fere semper perfeueret . Quod enim attinet ad exempla ab
eo proposita , nullius proflus sunt momenti . in mulieribus si
quidem mensium suppressione laborantibus absque vlla san-
guinis ebullitione cutis a prauis humoribus & præsertim
melancholicis infici solet . Non bene autem Medicos re-
darguit magnam peticularum copiam expertentes , quia si
ex tempestiue prodeant, maximum ægrotantibus, ut quoti-
die experientia docet, leuamen conserunt. nec ab re , quo-
niā utrissimum est, ut praui & venenati & crassi illi uapo-
res à natura foras ad ignobiles partes pellantur: omitto carū
apparitionem tempestiue factam etiam per viam signi bo-
nam esse, quia naturæ dominium supra materiam illam pra-
uam indicant . Quod autem conserant quin etiam hæ ma-
culæ apparentes per viam causæ, ex eo probatur, quod Auci-
cenas & pleriq; alij optimi & exercitatissimi Medici lōga
experientia edocti cauent omni ingenio ne materia illa aut
sanguinis missione, præsertim ubi maior pars foras efflu-
xit, aut alijs auxilijs intus reuocetur . Hinc Aetius & alij
insigniores Medici calidis & digerentibus inunctionibus
cutim laxant, & leuiter calfaciunt, ut praua illa materia fo-
ras euocetur, & per epidermidis meatus transpiret . Maxime
autem fallitur, dum addit, quod ex maculis illis alioquin fre-
quentissimis excentibus nihil decedit morbificæ materiae
in venis & visceribus ebullietis, nisi quem vel hrc est adeo
exigua, ut exhalationes tota abire possit: vel materia putre-
dinis antecedens est ita tenuis, ut per totam cutim disper-
gatur, priusquam ad putredinis focum perueniat. in hoc in-
quam

quam valde aberrat, quia materia antecedens putredinis, nisi ad putredinis focum perueniat, aut quoquomodo putredine corripiatur, & ratione putredinis ebulliat, non potest in crassos & prauos vapores, ut Angelucius fatetur, conuerti, & subinde maculis cutim inficere. Dum autem soluit quæsitum, cur non bene cum illis ægrotantibus agatur, quibus peticulæ semel visæ paulo post euanescunt, & in viscera se rursus recipiunt. Respondet id fieri, uel propter caloris naturalis mortificationem, quia malignus humor sine calore naturali solus de se mittere exhalationes non potest: vel propter exhalationum iter alio traductum, quia sit sæpe, ut in caput solum ferantur a magno illius ferore attractæ. Verum, pace ipsius dixerim, neque prima, neque secunda causa vero consona est: caloris siquidem naturalis mortificatio sicuti, ipso quoque teste, potest esse in causa, ut noua exhalatio subinde & amplius ad cutim non mittatur, ita non potest esse causa ut retrocedat, cum etiam in cadaveribus omni prorsus calore extincto maculæ perseverent: quinimo propter humorū decubitū magis amplificari & multiplicari maculæ cōsueuerūt. alia vero causa, in qua ait, fieri sępe, ut materia & exhalatio illa in caput feratur a magno illius ferore attractæ, valde ridicula est, & mihi virū hūc ei persimilē repræsentat, qui asinū, quē æquitabat, queritabat. non ne macularum materia, quæ in dorso potissimum, & frequentior apparere solet, facilius, & promptius ad cor ipsum & partes uiciniores in quibus feroe primo & principaliter uiget, & maximus est, attrahitur? non est igitur ut ad cerebrum ipsum sui natura frigidius, & remotius recurramus. quod quidem confiteri videtur ipse dum addit illa uerba (propter adauictam in visceribus ebullitionem.) Ut autem magis confirmet sententiā suam de ortu peticularum, sibi offert instantiam inquiens non solum morbillos sine ulla febre & ebullitione prodire, verum etiam innumeras cutis de
fœda-

DE FEBRE MALIGNA

scedationes, & pustulas, ut epiniæ tides, scabiem, & id genus
alia absque ulla prorsus febris suspicione. Quam quidem ob-
jectionem, ut tollat, mirum in modum laborat, & responsio
nem adeo obscuram apponit, ut meo quidem iudicio, etiā
si saepius atque iterum prælegatur, uix tamen percipi possit,
quæ nam sit responsionis deductio, aut uis, aut ratio, uel fun-
damentum. nisi quis forte fortuna ipsam hunc in modum
explicaret. Ut scilicet velit cōcludere, quod dum cutis com-
maculatur sine febre ex alijs causis id prouenire, videlicet ab
expultrice a prauis humoribus qualitate præsertim peccanti
bus, lacesita, & irritata: sin autē in exurente appareant febre
propter calorē dominantē & fundentem prouenire. Hoc ta-
mē, vt mihi videtur, non sufficit, quia statim quis quæret, cur
in synochis & ardentibus febribus præsertim nothis non ap-
pareant. Sed maximæ culpandus est, dū ait morbos magnos
& acutos omnes a calore oriri, videlicet aut nimis presso,
vt accidit in apoplexia, epilepsia, & similibus affectibus;
vel nimis ferociente, & nimis aducto, ut in acutis cum fe-
bre contingit. Quid enim hoc est, nisi uniuersam Galeni do-
ctrinam in lib. de causis morb. in cap. de caus. morb. frigid.
peruertere, æquiuocationes inculcare, & omnia confunde-
re? Si quis enim absolute hanec propositionem proponat
magnos morbos omnes esse à calore, hoc non potest quis
aliter intelligere nisi omnes morbos magnos à calore tan-
quam ea causa proficiisci, quæ efficiens sit, & contrarijs sub-
mouetur, & ad quam auxilia omnia diriguntur modo quis
esset tam stupidus, qui apoplexiā, tetanum & consimiles
affectus frigidis remedij, non autem calidis profligaret?
Quærit deinde, sui ipsius, opinor, oblitus, num particulæ ap-
pareant semper symptomatice, an interdum etiam critice.
Sed diceret quis, non ne ex tuis decretis constat, hanc quæ-
stionem omnino superfluam esse, & penitus inutilem? Si cri-
ses ex Galeni, & omnium sententia à virtute sunt alienorū
excretice,

excretrice, motus autem symptomatici omnes à virtute striata & aggrauata cruda existente materia proficiscuntur; si peticula, heus tu, vt superiori pagina constanter affirmasti, oriūtur ratione caloris ingētis, & propter ebullientē in uenis humorē, a quo crassae exhalationes cutim adorietes eleuantur: si paulo post dixisti esse meras exhalationes, & inde occasiōnem nactus es redarguendi Medicos propterea quod frustra expetant magnam peticularum copiam apparere: Ad quid nunc queris an maculae istae critice vel symptomaticè prodeant? Sed parum hoc est, longè deterius existit illud, quod postea scribit, nempe quod nonnunquam materia est ita tenuis & ichorosa, ut antequam putredinem concipiāt, & in putredinis foco retineatur, tota antecedenter per externam corporis cutem dispergitur, vti dum bilis ieteruin in febre tertiana, licet putredine nō contipiatur, sed solum materia antecedens febris sit, producit: Cum enim superius constanter affirmari, periculas prodire propter crassas exhalationes putris & ebullientis in uenis humoris, ergo necesse est, vt humor, qui peticulas producūrus est, ebulliat, & putrefaciat, & subinde sit causa coniuncta, non autem antecedens febris malignæ, ad hoc vt propria exhalatione cutim cōmaculet. Cum autē Galeni auctoritas ab eo adducta, non de maculis, sed de pustulis sit intelligenda, ne scio qua de causa ipsam descripscrīt: nam maculae, & pustulae, si cum suis placitis persistere quis uelit, longe diuersam sortiuntur generationem. Sed quis ipsum non mirabitur, qui supra dixerit peticulas, ad hoc ut appareant, ualidum admodum exigere calorem, & deinde declarans, cur diversum calorem præferant, affirmet nigras ad caloris extincionem referri? neque est vt quis cum tueatur dicendo extinctionem caloris non ad extraneum & febrilem, sed ad naturalem referendam esse, hoc autem in loco de naturali, supra uero de febrili & extraneo uerba fecisse, hæc inquam

DE FEBRE MALIGNA

responsio nulla est, quoniam etiam superius naturalem pro posuit colorem. Sic enim habet pagina 31.B. Si quis querat cur peticulae semel uisae paulo post euaneantur, & in uiscera se rursus recipient; Respondeo (inquit ille) huius rei causam esse, aut caloris naturalis mortificationem, quia malignus humor de se mittere solus exhalationes non potest, sed habet ad id opus naturali nostro calore. quid clarius? Insuper, cum Galenus saepius dixerit febrem esse mutationem nativæ caliditatis ad igneam, manifestum sit, febrilem calorem ualidum esse non posse, adeo ut foras exhalationes crassas evaporare faciat, innato calore inualido & extincto existente, cum febrilis caloris fundamentum nativus calor existat. Dum uero signum malignæ febris proponit, quod ad tactum ipsum resfertur, inquit, quod si calcant, non quidem flammæ, sed carenti calore calent; Sin uero frigentes sint udo quodam, & soluto frigore frigent. Egò uero cum diuersas apud Hippocratem, & Galenum caloris differentias legerim, nam & mitem, & mordacem, & acrem, & statim a manu uiectum, & omnino resurgentem, seu increcentem, & halitusum, & perpetuo debilem, & astutusum, & humidum, & falsuginosum, & pemphingodem, & alio modo tacitu nostro se se offerentem calorem vocatum esse reperio, carentem uero, solum ferrum ipsum ignitum, non autem calorem suisse appellatum adiuuenio, & proinde quid carentis à flammæ calore differat, & quam caloris speciem exhibeat, haud satis intelligo. que madmodum etiam illud uidum & solutum frigus asséquii non valeo. quod autem addit, nunquam deinde recalescere, etiam si maxima & ualidissima remedia tententur, & experientia refragatur, quia in peticulis extremæ partes prius frigescentes, rursus etiam absque externis auxilijs recalescere saepius conspiciuntur, & ab Hippocratis ab eo adducta auctoritate discordat, quia Hippocrates inquit(uix) id est cum difficultate calor his reuocari

uocari poterat. Dubitat deinde quomodo signum hoc pos-
sit inter malignæ febris indicia connumerari , cum sit lyp-
riæ febris pathognomicum , respondetque apud Galenum
quarto aphor. 48. febrem , quæ lypiria est, esse etiam mali-
gnam, non intelligens , Galenum per malignam non pesti-
lentem febrem de qua Angel. perpetuo ferè loquitur (quam
uis nonnunquam asserat se proprio sermone eam non attin-
gere) sed malignam idest male morigeratam febrem intel-
lexisse . carpit demum in huius capitinis calce Doctissimum
Fracastorium, quod in signis malignæ febris hypochondrio-
rum tensionem posuerit , tanquam non proprie admodum
ad malignam febrem attinentem. sed dicat mihi bonus hic
vir an ea signa , quæ ipse proposuit , sint omnia malignarum
& pestilentium febrium propria , an potius omnia sere sint
& alijs acutis & non pestilentibus febribus communia. Un-
de Fracastorius maxime probandus est in hoc signo . Nam
licet non sit pathognomicum & proprium , & inseparabile,
sicuti nec alia sere omnia ab Angel. proposita, auget tamen
malignæ & uenenatae materiæ suspicitionem ; fuitq; signum
a Magno Auicenna , & ab alijs propositum . qui ait propter
maximam nutritiorum organorum læsionem ea , quæ sub
hypochondrijs sunt, tendi, & ad hydropsis instar dispositio-
neni fieri , & hoc omnes , qui artem medicam diutius exer-
cuerunt, attestantur. & haec in primum Angelucij librum di-
cta sint satis . Quem quidem adeo labesætatum esse existi-
mo , vt in eius fabrica ne uel minimus lapis super lapidem
remanserit, qui non fuerit demolitus. Hoc autem tanquam
reliquorum , qui supersunt , librorum fundamento sublati,
reliquos omnes ex toto corruere necesse est. Quod quidem
cum ex Aristotelis , & Platonis sententia facile probatur :
Hic enim ait minimum in initijs errorem, maximum in fine
fieri , ille uero illud idem aliis verbis nos docens, scribit da-
to uno inconuenienti plura subsequi necesse esse : um ex

DE FEBRĒ MALIGNĀ

Angelicij positione in huius libri principio confirmari potest. Totius enim operis principium, inquit ille, uera & ex acta maligni morbi, & malignae febris definitio est, quoniam hac ignorata, illa etiam, quæ sequuntur, ignorari necessum est. Sed quid, si naturæ, tum causas, tum differentias ignoratas fuisse nos addamus? Quare sicuti longe facilius esset reliquos libros confutare, quoniam, quo magis ad finem a prauis principiis deductum tendimus, eo maiora nobis se se offerunt inconuenientia: ita non hoc prudentis ac sapientis, sed imprudentis ac inepti consilii omnino esset; perinde ac si quis longioris serpentis capite contrito, etiani quod reliquum est corporis confrigere studeret, obiiceret aliquis: cum tres, qui sequuntur, libri medicinalēm materialē continent, non ne quamplurimi adiumenti sunt Medicis, & iij quidem satis præstantes, qui morborum natura penitus ignorata, nihilominus pro diuersis tollendis morbis variis nobis præsidiorum materias reliquere? utique: sed tamen non consulunt, ut ea in agrotantibus adhuc strentus, nisi prius regritudo quadam signorum syndromē seu conicursū exacte fuerit explorata. modo ex ijs, quæ de signis malignarum febris ab Angel. dicta sunt, quam syndrome signorum poterit quis colligere, cum omnia perperam fuerint conscripta? Ad hanc; optimi illi Medicis tenedia & horum materias uel a semetipuis uel ab alijs præstantioribus & fide dignis saepius tamen expertas (hinc enim optima exurgit experientia) possestitati reliquere. Sed Angelicus, ut opinor, per propriam experientiam comprobata remedia describere non potuit, quia, cū iudiciū perdifficile sit, experimentum uero fallax; & periculi plenum, id plurimorum annorum spatum exigit, quod ab Angel. longe abest. cum enim Præstantissimo Massaria præceptore se medicinæ litteras dedicisse fateatur, ne scio an lustrum integrum pertransierit, ex quo Clarissimus Massarias Patauij Artem Medicam publice & in primo lo-

cōcēpit interpretari. Sed audio quendam dicere, quod li-
cer Angel. propria experientia, probata remedia nobis trade-
re nō potuerit, potuit tamē eā cōscribere, quæ ab alijs litt-
rarū monumentis cōsignata, ab eo maturius cōsiderata, præ-
statiſſima fuere iudicata. sed hoc diuerticulū est, qā optimū
remediorū, quæ possumt morbos tollere, iudiciū, analogisimo
& experientia subtractis, nō nisi ex morborū naturis optimē
cognitis exurgit. Et ita Angelucius excusari nullo modo po-
test: ut nos iustum habemus excusationē, si reliquo libri
rum confutationem non prosequamur. Hunc tamen libel-
lum claudendum esse non censem, nisi prius ad cantilenam
seu verboram iactationē quandum, quam nescio qua ra-
tione ductus, procmij cuiusdam loco, suis libris p̄p̄osuit,
me conuictam, ac nonnulla illīc conscripta perpendam, an
probe & vere sint dicta, an potius falsa, & inuicem pugnan-
tia, &c, ut summatis dicam, libris, qui sequuntur, sint omni-
no proportionata. Ait itaque non longe post principium,
deliberationem sibi initam esse medicinæ studiosos, quos al-
loquitur, proprijs scriptis nō auocandi a cultu veteris di-
sciplinæ; Sed contra ad illum alaciores, & magis impigros
reddendi: quid enim, subdit ille, est multas & interdum intē-
gras paginas, addō etiam libros ex antiquitate sine pudore
exscribere; ex Priscorū penū centones miscellaneos, indiscre-
ta breuiaria, aut confusas, & monstruosas collutiones coa-
ccetiare, putri suorum inuentorum telæ veneranda vetu-
state improbe & audacissime assurā, nisi inde auertere, uos
in quod toti incumbere deberis? hæc eius sunt uerba.
Quæ quis ab Aristotelis vel Galeni ore profluxisse imagi-
netur, turgidissimā nihilominus iudicabit. Sed libenter
audirem ab ipso, quid nam medicinæ studiosis utilius sit, &
quid eos à veterum scriptis auocare, vel ad eorum lectio-
nem reuocare magis possit, an eis volumina conscribere,
quæ veterum optimorum dictis ijsque dilucidatis, ad bre-
uem

DE FEBRE MALICNA

uem summam, pauciora capita, claramque methodum redactis, optimoquoque ordine a rei natura desumpto, & ad labantem memoriam, morborumque facilem cognitionem & de pulsionem utilissimo dispositis, sint refertissima, uel potius libros eis legendos mittere, qui Scaligeris, Iousbertis, Viegis, Vlmis, Iordanis, Struthijs, Coyttaris, & innumeris alijs Modernis scriptoribus, quorum nomina ad aures multorum adhuc non peruenere, & quod deterius est, deliramentis nungisq; tantummodo, uel, ut suis uerbis utar, consulis, & monstruosis colluisionibus consarcinati ac compillati sint? Non ita egerunt Arabes, non Græci, non Latini celebres post Galenum Medicinæ scriptores. Sed Auicennas omnem Galenicam doctrinam interpretari, claram reddere, probe inuicem connectere & ordinare, & quod plurimi extimendum est, ad breuiorem summam redigere, quæ uitæ nostræ breuitati, & labili memoriæ esset magis consentanea, conatus fuit, idque ipsum fuisse consequutum nobis omnibus æque constaret, si non Arabico idiomate, cuius ueri ac fideles interpres uix apud nos reperiuntur, sed uel Græce, uel latinè scripsisset. Eandem prouinciam Aggressi sunt Paulus, Aetius, & alij complures cum Græci, tum Arabes, Nec non inter recentiores præstantissimus Fernelius, qui quidem a Francorum Rege exoratus, ut maximam hanc & eminentissimam Medicinæ scientiam ad summam cum breuitatem, tum claritatem deduceret, præclarissima illa Medicinalia commentaria posteritati scripta consignauit. in quibus ne dum quidquid magis exquisiti ac boni tradidit Galenus, sed integros eius libros collocatos videre est. quod enim Galenus diffuse & integro uno in libro pertraetauit, sape Fernelius id omne ad ynicum, partiumque caput rededit, quod utinam frequentius adhuc egisset. Non defuerunt quidam Fernelio iuniores, sed humanum iuuādi genus uoluntatem perpensiorem, & erga Diuinum & optimum

mum Galenum gratiorem animum habentes, qui omnia, quæ Auicennas & alij aggressi sunt, præstare, & Medicinam ipsam ad maiorem adhuc & breuitatem, & claritatem deducere, ac magis locupletare & omnia, quæ ad optimam mendendi rationem faciunt, ad uniuersales quasdam methodos reuocare conati sunt. Et, quod Artis studiosos ad Galeni & optimorum veterum lectionem allicere, stimulare, & alacrio res reddere maxime ualeat, in suorum librorum prohemio fassi sunt, se omnia fere Theoremeta a Galeno descripsisse & nunquam ab Hippocratis Auicennæ & aliorum, qui inter Medicinæ proceres iure merito habentur, opinione recessisse; & in illorum marginibus eorum nomina & auctoritatuum loca perpetuo collocarunt; & à Iousbertorum, Coyttarum, Strythiorum, &c. si Dijs placet, Scaligerorum, & aliorum huiusc classis scriptorum, auctoritatibus & placitis describendis iugiter abstinuerunt. & nihil, quod suum inuentum esset, in medium attulerunt, quod experientia, ratione, & ut plurimum eiusdem Galeni testimonio & auctoritate non fuerit comprobatum. Quos tamen nonnulli inuidia commoti clandestine, & in Ciuitatis angulis & susurris persequi, & maledictis laceſſere non desistunt. Quid plura? idem Angelicius totam illam uerborum seriem, quā ex sua præfatione transcriptā paulo superius proposui, aduersus eosdem alioquin in arte medica optime meritos iactasse iterū ac ſæpius ut audiui confessus est. Ego tamē censeo, & hoc clarissime Barocci huius libri ueluti corollarium sit, nulos ad perdendam, & labefactandam Medicinam aptiores libros adinueniri; posse, ijs quos tum ille, tum ei similes auctores composuere. Laus Deo Opt. & Max.

F I N I S.

Robertus Meietus ad Lectores.

EXCELLENTISSIMVS Eusta-
chius Rudius, quod librum hunc cur-
renti, ut aiunt, calamo conscripsis-
set, & alijs etiam de causis illum vo-
luit sub alieno nomine edere; sed
quia intelligo, quam vobis sint grata illius scri-
pta, cum toties periculum fecerim illis imprimen-
dis, cum continenter ab omnibus illius alij libri,
qui consequuntur impressos, efflagitentur, ut li-
bentius, & maiori attentione libellum hunc per-
legatis, qui, ut à multis audiui, maximi est ponde-
ris, ac momenti, facere non potui, quin vobis ger-
manum Autorem, verumq; nomen patefacerem.
Valete, & me amate.